



~~Ph.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel. alced

THEMATA THEOLOGICA

DISPUTATIONIS ANA-
SCHEVASTICÆ PRIMÆ

44

DE ORALI CORPO-
RIS CHRISTI IN COENA MAN-
DUCATIONE, ET RITIBVS
EVCHARISTICIS,

Quæ

SVB PRÆSIDIO REVEREN-
DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. SALOMONIS
GESNERI SS. THEOLOGIAE DOCTORIS
& Professoris in alma WITEBERGEN-
SIVM Academia

Contra

FODOCVM NAVM SI-
genensem

3. Septemb. tuebitur.

M. IOHANNES SCHRODERVS
Treifensis Hassus.



WITEBERGÆ,

Excusum typis Wolfgangi Meisneri,
ANNO *cb l* XCVI.



AMPLISSIMIS ET PRU-
DENTISSIMIS VIRIS, DNN.

QVAESTORI, CON-
SVLI, CÆTEROQVE SENA-
torio ordini in florente Alsfeldensium

Repub.

Dominis & fautoribus suis, omni
observantia perpetuum colendis,

Theologicum hoc γύμνασιον
dedicat

M. Johannes Schroderus Autor.



THESES DE COENA DOMINI.

Thesis I.



Alè prospectum est urbi, cujus Speculator est incendiarius; pejus ovili, cujus Pastor est lupus: pessimè verò Ecclesie, cujus Antistes est fidei malè affecta.

II.

Ille face tecta, iste fauce corpora: Hic verò pestilentibus doctrinis hominum depopulatur animas.

III.

Veruntamen sicuti fulgur & tempestas: etsi dent calamitatem agro, aerem tamen expurgant: ita ἐτεροδιδασκαλία in Ecclesia perniciosa quidem est, sed tamen, si redarguatur, doctrinae sinceritatem adjuvat. Veritas, inquit Bernhardus, magis elucet impugnata. serm. 99. de temp.

IIII.

Quamobrem operæ precium fore existimatum est, si confutaretur δειπνοσκόπισι καὶ libellus IO DOCI NAVM SIGENENSIS CALVINIANI, non ita pridem editus, cui titulus est: Assertio Sacrosancti Testamenti Christi cōtra μυστηριολάχας: qua verò iste Testamenti hujus tabulas & sigilla corrumpit.

V.

Ejus libelli capita sunt quatuor. I. De Ceremoniis & ritibus Cœnæ Dominicæ. II. De finibus ejus præcipuis. III. De manducatione carnis Christi, & an corpus Christi Deitatis attributa acceperit. IIII. De iis, qui Cœnam Domini accedere, vel ab ea abstinere & arceri debeant.

VI.

Ex quibus Secundum & Quartum, quæ Controversiæ minus habent, præterimus. Primum & Tertium verò nobis sumimus in materiem duarum disputationum Theologicarum: quarum prima hæc erit de Manducatione carnis Christi, cum appendice eorum, quæ de ritibus Eucharisticis differenda sunt: altera de Communicatione Idiomatum, quam Tertii generis vocant Theologi.

VII.

*Quæstio igitur nunc est: Vtrum corpus Christi in Sacramento Cœnæ ἐκ τῶ μὲν οὐκ
ore manducetur.*

VIII.

*Affirmamus nos. Non quòd sic ore manducetur, ut Symbolum ejus panis. Hic γοῦν μὲν οὐκ
manducatur*

A 2

ἐκ τῶ μὲν οὐκ

γοῦν μὲν οὐκ

manducatur

manducatur Physicè, modo naturali: Illud Mysticè, modo supernaturali: Vtrunq; tamen ore, quo Sacramentalis hujus sumptionis instrumentum, non modus, designatur.

IX.

Contrà ait Adversarius Iodocus: Erronea profectò doctrina, pugnans cum institutione Cœnæ dominicæ, cum indubitatis fidei articulis, cum consensu totius scripturæ sacrae, & in specie cum doctrina omnium Sacramentorum. Et addit: Hoc ipsum aliquot argumentis ostendam.

X.

Veniendum igitur ad disceptationem: in qua primùm τὸ ἀντιπαλόν (ut Nazianzenus loquitur) quod adversatur, evertemus, respondendo ad argumenta Adversarij: postea τὸ δίκαιον, institutum proprium, defendemus.

XI.

ARGUMENTVM PRIMVM AD VERSARIUM.

Argumentum autem Adversarij primum est: Quod est pro nobis in mortem traditum & pro nobis in cruce effusum, illud est in Sacramento cœnæ edendum & bibendum:

Atqui visibile & tactile tantum corpus & sanguis pro nobis sunt in mortem tradita & effusa.

Ergo visibile & tactile tantum corpus & sanguis sunt in Cœna edenda & bibenda.

XII.

RESPONSIO.

Primus hujus Argumenti error est παρὰ τὸ ὑποκειμένον. Perinde enim disputat Iodocus, ac si status quæstionis hic esset: An caro & sanguis Christi invisibilis & intactilis ore manducetur & bibatur. Quopactò unius Controversiæ tot principales quæstiones constituendæ erunt, quot sunt attributa Carnis & sanguinis Christi, de quibus inter nos & Calvinianos controversari solet. ἀποσώρον. Vera quæstio paulò ante est exposita, quam etiam Iodocus attingit in Conclusionem Argumentorum suorum. Tertii, Quarti, Septimi & aliorum.

XIII.

Secundus error est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Major propositio loquitur simpliciter de Substantia: Minor de Accidentibus. Illa itaq; sic corrigenda erat: Quale corpus pro nobis in mortem est traditum, tale in cœna manducatur.

XIIII.

Tum verò universalis non fuisset. Traditum pro nobis est corpus vegetabile, mortale, ψυχικόν: non tamen tale à nobis in Cœna manducatur.

XV.

Tertius error est παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν. Visible & Tactile aliàs intelliguntur de potentibus

tentia, quâ quid videri & tangi potest: è quo significato Argumentum totum concedimus: aliâs verò de actu quo quid actu videtur, actu tangitur. Hoc in significato negamus visibile & tactile corpus in cœna manducari,

XVI.

At linquies: pro nobis in mortem traditum fuit corpus quod videbatur actu. Ergo actu visibile & tactile corpus manducandum erit in cœna.

XVII.

Hic jam quartus est error τὸ ἀπορρηκτὸν. Videri posse, tangi posse sunt Corporis Christi propria: actu autem videri & actu tangi sunt accidentia, quæ subjecto salvo abesse possunt. Proinde potest Corpus Christi in cœna manducari, licet actu non videatur, ut videbatur in cruce.

XVIII.

Id quod fit, tum quia Unio Symboli & Corporis Christi non est Physica, sed Mystica, tum quia inter οὐδὲν, corpus Christi, & οὐδὲν ὄψον, oculum nostrum, non est proportio, quæ ad οὐδὲν requiritur. Alibi verò in eodem Christi corpore, nondum etiam glorificato, per potentiam Dei extraordinariam factum idem est: ut paulò post videbimus.

ARGUMENTVM SECVNDVM AD- VERSARI.

Secundò argumentatur. Qui tollunt & negant corpus Christi, ii non possunt illud in pane manducare. *Psal. 51.*

Atqui Synuasiastæ (Quid? an Iodocus Apusiasta vult audire?) planè tollunt & negant corpus Christi.

Ergo Synuasiastæ non possunt corpus Christi manducare.

XX.

Assumptionem probat: In quo tolluntur omnes proprietates, in eo ipsa essentia tollitur.

Atqui in carne Christi invisibiliter sub pane latente tolluntur omnes proprietates.

Ergo in carne Christi invisibiliter sub pane latente essentia ipsa tollitur.

XXI.

Assumptio, inquit, non indiget ulla probatione. Atqui re nulla magis indiget. Nam in corpore omnia loca replente & in symbolis latente monstratur nobis vel una proprietas, secundum quam Christus quatenus homo, nobis similis esse verè dici possit. Inductione utitur: Corpora nostra videntur, tanguntur, ex loco in locum moventur, finita & circumscripta sunt, habent partes extra partes, in iis monstrari possunt membra distincta, locorum intervallis sejuncta, & per nervos conjuncta. Nil horum in corpore infinito & incircumscripto monstrari potest.

A 3

Responsio

XXII.
RESPONSIO.

Committitur error πρὸς ἀγνοίαν τῆς ἐλέγχου. De corpore infinito verbum nemo fecerat. κενώμενον verò est, quod in prosyllogismo assumebatur: In carne Christi invisibiliter sub pane latente tolli omnes proprietates. Hoc erat probandum.

XXIII.

Ad Inductionem: Distinguiamus inter propria, quæ corpori competunt, quæ corpus est: cuiusmodi sunt Finitum esse, Terminis essentiae circumscriptum esse, Habere partes extra partes, Membra distincta & per nervos conjuncta. Item, Videri posse, tangi posse: Et propria, quæ competunt corpori, non quæ est corpus, sed quæ est ψυχικόν & mundi hujus conditionibus obnoxium: cuiusmodi sunt Circumscribi loco, De loco in locum moveri, Edere, Bibere, Videri ab oculis non glorificatis, Tangi à manibus non glorificatis.

XXIII.

Illam in carne Christi monstramus & inesse omni asseveratione affirmamus: hæc verò inesse negamus, quod per gloriosam exaltationem ejus sublata sint. Sic tamen, ut excipiamus ὁμονομίαν, per quam Christus, quicquid horum vult, in glorioso etiam corpore suo ostendere potest. Elenchus itaque Inductionis est: Quaedam enumerata monstrare non possunt: Ergo nulla monstrari possunt.

XXV.

Psalm. 8.

Occupat Iodocus: Etsi Christi humanitas in exaltatione ornata est gloria & honore supra omnes creaturas, ista tamen gloria non tollit essentiam & proprietates humanas. Declarat simili: Quis non videt Imperatorem sive Cæsarem nostrum, euectum esse & exaltatum supra omnes in imperio Romano? quis verò propterea dixerit, illum propter gloriam & maiestatem concessam non esse verum hominem, nobis non ὁμοσίου, non visui, non tactui subiectum?

XXVI.

Contrà. Occupatio hæc nulla est, quia subiectio falsa. Ipsi quoque docemus, Gloriam non tollere vel essentiam, vel proprietates humanas: nempe omnes. Quas enim tollat, modò dicebamus.

XXVII.

Itaque nec locum habet simile de Cæsare non homine, nobis non ὁμοσίου &c. In quo illud etiam dissimile est, quod Imperatoris exaltatio consistat in solâ Ordinationis Relatione, qua ipse præ aliis fuit designatus Imperator, cui parerent cæteri: Exaltatio verò Christi consistat in Reali Idiomatum τῆς λόγου communicatione, & Resurrectionis gloria, qua formaliter etiam, ut Scholæ loquuntur, & in sese Caro Christi facta est alia per qualitates πνευματικῆς, quibus ornatæ prius non erat: Et quibus aliquando etiam corpora nostra ornabuntur & transformabuntur, ut tradit Apostolus 1. Cor. 15. v. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

29. Redit



XXVIII.

Redit ad argumentum de visibilitate corporis, Syllogismo tali:

Quod invisibile & intactile est, Spiritus est. Luc. 24.

Atqui corpus Christi non est Spiritus.

Ergo corpus Christi non est invisibile & intactile.

XXIX.

Responsio. In propositione est error $\omega\alpha\sigma\alpha\tau\ \tau\acute{o}\ \pi\acute{\eta}\ \omega\epsilon\ \acute{\alpha}\pi\lambda\acute{\omega}\epsilon$. Quicquid Invisibile & Intactile est simpliciter, ita ut nec videatur et tangatur, nec videri & tangi possit, illud (demon) est Spiritus. Corpus vero Christi, etiamsi à nobis nō videatur & tangatur, videtur tamen & tangitur ab oculis & manibus gloriosis, ideoq; videri & tangi etiam potest.

XXX.

Promde Majorem infringimus hoc Syllogismo. Corpus Christi, quando Luc. 24. factum est $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$, & Luc. 4. ac Iob. 8. per medios hostes transit, fuit verum corpus. Corpus Christi, quando Luc. 24. factum est $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$, per q; medios hostes Luc. 4. ac. Iob. 8. transit, fuit (quoad actum) invisibile & intactile. Ergo quoddam invisibile & intactile corpus fuit verum corpus. Et vi consequentis falsa est propositio Quicquid invisibile & intactile est, Spiritus est.

XXXI.

Ad singula respondet Iodocus. Ad primum. Dicitur quidem factum fuisse $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ (quod de nobis quoq; dici potest) sed non $\acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$. Quia enim Christus celeriter à conspectu discipulorum subductus est, factum est, ut ablatum & aliò traductum corpus non conspiceretur.

XXXII.

Contra. Fac esse discrimen inter $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ & $\acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$. Si $\tau\acute{o}\ \acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$ negat $\acute{\alpha}\epsilon\tau\omicron\upsilon\mu\ \tau\acute{\delta}\ \delta\epsilon\acute{\sigma}\acute{\alpha}\delta\eta$, differunt ut Communius & angustius. Omne $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ est $\acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$, sed non omne $\acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$ est $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$. Sin $\tau\acute{o}\ \acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$ negat potentiam $\tau\acute{\delta}\ \delta\epsilon\acute{\sigma}\acute{\alpha}\delta\eta$, specie diversa sunt. Nam Spiritus $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ non possunt dici: Et corpora (exceptis iis, quæ sunt $\delta\iota\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$) $\acute{\alpha}\acute{\sigma}\epsilon\alpha\tau\omicron\upsilon\pi$ dici non possunt. Nihil ad rhombum.

XXXIII.

Quid autem Corpus Christi $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ factum ideo dici putat, quia celeriter traductum aliò non conspiciebatur, de nobis quoq; hoc dici posse meritò, licet ridiculè, affirmat. Error est Definitionis. $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ factum dicitur illud, quod, cum conspiceretur & discedere non conspiceretur, derepente conspici desit. Quod autem celeriter aliò traducitur, etsi traductum non conspiciatur, quia tamen traduci ab oculis presentibus & intentis, quales discipulorum erant, conspicitur; quum visio $\epsilon\pi\tau\omicron\upsilon\sigma\acute{\iota}\ \nu\acute{\upsilon}\pi$ fiat; $\acute{\alpha}\phi\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ fieri dici non potest.

XXXIIII.

Sic è diverso Apparuisse post resurrectionem dicitur Christus, quòd, cum prius non conspiceretur, & accedere non conspiceretur, derepente conspici cœpit: *Ve quando.*

quando, clausis ostiis, derepente stetit in medio discipulorum. Luc. 24. De quo verò per ostia clausa transitu Commentum simile proponit Iodocus.

XXXV.

Dicit enim: Quòd alii docent, Christi corpus ex utrisque proprietatibus veræ carnis, januas clausas transivisse, aulis fabula est. Nam ne apex quidem ejus legitur. Miraculum editum esse constat, at non in Corpore Christi, sed in Janua, quæ cum clausa esset, derepente Christo ingressuro cessit. Nam ut Petro & Apostolis incarceratis, Christi membris, januæ obleratæ exitum præbuere cedendo. Act. 5. v. 19. 23. & 12. v. 10. & 16. v. 26. & 27: ita statuendum est, creaturas hæc insensiles, cedendo voluisse Christo, capiti nostro, hunc obedientiæ honorem exhibere.

XXXVI.

Contrà: Christi corpus ex utrisque proprietatibus januas clausas transivisse, ecquis docet? Retentis proprietatibus transit, è virtute divina. Quod anilem fabulam Iodocus nuncupat, dubito, an quia vetustiores Ecclesiæ Doctores idem docuerunt.

XXXVII.

„ Sic enim Iustinus quæst. 117. scribit: Sicut ambulavit in mari, non mutatione
„ corporis in Spiritum, sed divina sua virtute: ita clausis ostiis ingressus, dixit, palpe
„ & videte: ut ostenderet, se non mutatione corporis in Spiritum ex monumento egres
„ sum, cum saxum monumento impositum esset, & ad Apostolos januis clausis ingressum,
„ sed cum corpore crasso, divina potentia sua, quæ ea, quæ præter & supra naturam sunt,
„ præstare potest.

XXXVIII.

„ Augustinus serm. 159. Si vera, inquit, caro fuerit, quæ resurrexit, quomodo ipsa
„ januis clausis ad discipulos intravit? Redde mihi rationem ô homo, si rationem à me po
„ scis, Non est mirabile, si exemplum queritur, non erit singulare, & potius recedant
„ paulisper modus & pondus: Ille hæc fecit, cui nihil est impossibile.

XXXIX.

„ Idem serm. 160. Sicut non est naturæ corporalis per januam clausam intrare, sic
„ non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intravit per ostia clausa, re
„ sponde mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulavit super aquas maris, da mihi & tu
„ pondus carnis. Vis nosse & hoc omnipotentia fuisse.

XL.

Etenim qualis est ingressus Spiritus in contubernium clausum, talis fuit ingressus iste Christi ad discipulos: quippe, referente Luca, conturbati & conterriti sunt discipuli, quòd se Spiritum videre existimabant: quomodo turbati sunt & Phantasma esse dixerunt, videntes Christum ambulans super mare. Matth. 24. Ingressus autem spiritus talis est, ut apertione ulla forium clausarum ei non sit opus. Ergo & hic Christi ad discipulos ingressus talis fuit.

41. Vnde

XL I.

Vnde Iohannes Christum januis clausis venisse secundò dicit, apertis nuspian dicit. Temerarius verò est Iodocus, ne quidem apicem hujus rei legi asseverans. Ostendat ipse apicem, Christum ingressum esse janua sic cedente, quomodo cessit Petro. Act. 5. Quod si factum esset, non fuisset, cur Christus se palpandum jussisset, ut corpus solidum habere se demonstraret. Satis fuisset indicio ejusmodi januae apertio, cum corpore esse solido, qui, nisi ita janua cedente, intrare non potuisset.

XL II.

Alioquin suo modo cessisse creaturam Creatori non imus inficias, nempè quatenus non exclusit. Quem modum Hilarius exponit: Quæro, inquiens, per quas clausæ domus partes corporeus se intulerit an constructa parietum penetrans & solidam lignorum materiam impenetrabilem transcurret? Stetit nanq̃ corporeus, non simulatus aut fallax, integra sunt omnia & observata. Sed ecce assisit medius, cuj per virtutem universa sunt pervia. Nihil cedit ex solido, neq̃ per naturam suam tanquam lapsu insensibili, ligna & lapides admittunt, nec corpus Dominicum à se deficit, ut sese resumat ex nihilo: Et unde est, quod assisit in medio? Cedit ad hæc sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti.

XL III.

Porrò quòd oculi discipulorum in itinere retenti fuerint, quò minus Christum agnoverint, non adversatur id nobis: quòd aliud sit Videri, aliud Agnosci. Vrgemus verò inde magis, quòd cum jam discipuli Magistrum agnoscerent, & oculi eorum aperti essent, etiam ex apertis eorum oculis disparuerit.

XL IIII.

Ad secundum: Alibi, inquit, legitur per medium hostium, cupientium cum præcipitare, transivisse. Luc. 4. v. 30. Et quid mirum? Qui enim hostes prosternere potuit divina sua potentia, is hostium manus non potuisset cohibere, quò ipse illæsus abiret?

II.

XL V.

Contrà: Non queritur, quid potuerit, sed quid fecerit. Quod mirè gestum hic fuit, de Transitu simpliciter commemorat Evangelista: Ipse, inquiens, transiens per medium illorum ibat. De hostilium verò manuum cohibitione, in qua tamen miraculum totum fuisset situm, ecquis apex hic legitur Iodoco?

XL VI.

Rectè igitur Hieronymus ad Pammachium: Quod ab oculis repente evanuit, virtutis Dei, non umbræ est, aut Phantasmatis, alioquin & ante resurrectionem in Nazareth transivit per medios, id est, elapsus est è manibus ipsorum. Nunquid juxta Marcionem dicemus, natum in phantasmate, quia contra naturam, qui tenebatur, elapsus est, quòd clausis ingressus est ostiis, ejusdem est virtutis, cujus & ex oculis evanescere.

III.

XLVII.

Secundo simile est Tertium, ad quod respondet hisce: Ioh. 8. ab hostibus quaesitus Christus dicitur se occultasse: Quod factum non est argumentum invisibilitatis in carne Christi, sed potius visibilitatis. Siquidem ea occultantur, quæ naturâ suâ sunt visui subiecta.

XLVIII.

Contra: Vbi legisti, Christum à Iudæis quaesitum, quo cum cominus per contentionem verba conferebant Iudæi? Videndum itaq; de occultatione, quæ non fit uno modo. Cum enim occultare seu Abscondere nihil sit aliud quàm facere, ut non videatur, quod videbatur, et quod, si non occultaretur, videri posset: fit vel Remotione objecti ὄψεσθαι, vel Interpositione Corporis opaci inter Visum & Objectum, vel Occasione Medii inhabilis, vel Inhibitione Radiaturæ, qua objectum, virtute divina, species visibiles nullas emittit, quibus afficiatur oculus.

XLIX.

Posterius modo fuit hæc occultatio Christi, cum, quia alia locum habere non potest, Iudæis presentibus & è vestigio in luce infecuturis, tum quia Absconditus per medium eorum digressus abiit, ut sunt Evangelistæ verba.

L.

Eademq; occultatio est argumentum quidem visibilitatis, scilicet antegressæ, (quæ videbatur prius) cui privativè opponitur: simul verò est argumentum invisibilitatis corporis Christi presentis, quod ante occultationem cernebatur, occultum non cernebatur, etiam cum in mediis Iudæis versaretur.

LI.

Nunc aggreditur objectionem quandam nostratium, quæ talis est:

Qualia nostra corpora futura sunt in gloria, tale quoque Christi corpus est ad dexteram Dei exaltatum.

P. 54.

Atqui corpora nostra futura sunt invisibilia.

Ergo, Christi quoq; corpus invisibile est statuendum.

LII.

Propositionem, ait, probant illo Pauli Phil. 3. docentis, corpora nostra σωμασφαι futura glorioso corpori Christi. Assumptionem duobus argumentis.

I. Qui similes futuri sunt angelis, ii futuri sunt invisibiles: illi n. sunt spiritus, qui videri & tangi non possunt. Luc. 24. 39.

Atqui nos glorificati futuri sumus similes angelis, Matth. 22. v. 30. Luc. 20. v. 36.

Ergo nos glorificati futuri sumus invisibiles.

II. Qui habituri sunt corpora πνευματικά, ii futuri sunt invisibiles.

Atqui pii in altera vita habituri sunt corpora πνευματικά. 1. Cor. 15. v. 44. Ergo pii in altera vita futuri sunt invisibiles.

53. Ad

LIII.

Ad Majorem prosyllogismi primi respondet: Qui similes futuri sunt angelis in omnibus, in ipsa etiam essentia, eos profectò necesse est esse invisibiles. *Contra.* Committitur Elenchus cause. Ut enim corpus aliquod fiat invisibile, non necesse est substantiam ejus in Spiritus mutari substantiam, sed potest id fieri vel inhibitione radiaturæ, sicuti de occultatione Christi dicebamus, vel tribuendo ei subtilitatem, ut non sit proportio inter visum & rem visibilem: quomodo Aer, aliq̄ corpora superiora non videntur à nobis, quæ tamen Spiritus non sunt. Subtilitatem autem inter dotes corporis gloriosi referri à Veteribus quis ignorat?

LIIII.

Deinde est error Ambigui. Non tribuimus corporibus gloriosis Invisibilitatem eam, per quam simpliciter nec videantur, nec videri possint: sed hanc duntaxat, qua non conspiciantur ab oculis nostris, qui adhuc sunt ψυχικοί, non, ut ipsa, πνευματικοί.

LV.

Ad Majorem prosyllogismi secundi respondet similiter: Qui habituri sunt corpora πνευματικά, quoad essentiam, si necessariò futuri essent invisibiles. Atqui pii habituri sunt corpora πνευματικά, non quoad essentiam, sed quoad qualitates quasdam. *Contra.* ΑΥΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ hic eadem est cum proxima. Adde: Si secundum quasdam qualitates piorum corpora futura sunt πνευματικά, in his Invisibilitas vel est inclusa vel exclusa. Si inclusa, stamus argumento, Si exclusa, ostendat, quod nondum ostendit, cur exclusam esse statuendum sit.

LVI.

Pergit: Mirandum est, cum Spirituum multæ sint qualitates & proprietates, sintq̄; non tantum invisibiles, sed etiam ἄσραφοί καὶ ἀνόσοι, nostros adversarios unius tantum qualitatis & proprietatis mentionem facere.

LVII.

Atqui in promptu est ratio. Unius qualitatis mentionem faciunt, quòd una ferè in controversiam veniat. Ἄσραφοί verò & ἀνόσοι non sunt qualitates, quibus indicetur, quales sint vel non sint Spiritus, sed quid in essentia sua non sint, secundum quam piorum corpora πνευματικά futura esse, ipsi quoq̄ negamus.

LVIII.

Quocirca ut frustra, ita nullum nostrum ad exemplum (licet fingat) argumentatur Iodocus.

Quæ essentiâ suâ sunt spiritualia, ea quoq̄; sunt ἄσραφαί ἢ ἀνόσοι. Luc. 22. v. 39.

Atqui nos non futuri sumus ἄσραφοί καὶ ἀνόσοι: quia credimus hujus carnis resurrectionem.

Ergo nos in essentia nostra non futuri sumus spirituales.

LIX.

Deniq̄; umbilicum addit. Ut in hac vita, dicens, corpora nostra sunt ψυχικά, ita etiam in altero seculo futura sunt πνευματικά. Atqui

Atqui in hac vita non eo modo corpora sunt ψυχικά, quasi mutantur in ψυχάς live animas, & induant animæ proprietates.

Ergo nec in altera vita ita corpora futura sunt πνευματικά, quasi proprietates πνευμάτων sive Spirituum sint acceptura.

LX.

Contrà. Corpus ψυχικόν est, quod hujus vitæ legibus est obnoxium: sicut 1. Corinth. 2. ψυχικός homo dicitur, qui consideratur in isto statu, quem natura fert communis. Illud verò inde, quia leges istæ partim ab Anima præscribuntur: cujusmodi sunt illa, quæ vi animæ vegetativæ corpori insunt, & eo perficiuntur. πνευματικόν est, quod in alterius vitæ statum felicem est traductum.

LXI.

Primus igitur error est in Propositione, quæ ἀπλῶς non est vera. Non enim, quemadmodum Anima corpus organicum hac in vita informando, & in eo per ipsam operando, ψυχικόν ipsum facit, Spiritus facturi id sunt πνευματικόν.

LXII.

Secundus error est in Assumptione copulata, cujus particula posterior falsa est. Falsum est hac in vita corpora ψυχικά non induere animæ proprietates. Si non induunt unde sentiunt? unde moventur? unde vegetantur? unde vivunt? unde membra eorum alia atque alia habent vim aliam atque aliam, aliud atque aliud operandi? Non nisi ab anima.

LXIII.

Tertius error est in Complexione, qua non colligitur, quod erat in præmissis. Aliud est induere proprietates, quod resumendum fuisset, & tum vera esset Conclusio; non autem adversa nobis, qui non sentimus, sic corpora πνευματικόν indutum in πνευμάτων proprietatibus, uti ψυχικόν induit proprietates ψυχικές: aliud est proprietates Spirituum simpliciter accipere: quas corpora piorum acceptura esse demonstramus.

LXIII.

Si corpora piorum futura sunt πνευματικά secundum qualitates quasdam, quas Spiritus nunc obtinent, non v. corpora ψυχικά, sequitur corpora piorum acceptura esse spirituales quasdam proprietates.

Atqui Antecedens est verum: vel ex Adversarii testimonio, suprâ dicentis: pios habituros esse corpora πνευματικά, non quoad essentiam, sed quoad qualitates quasdam.

Veram igitur & consequens.

LXV.

Proinde argumentum sic corrigimus. Ut in hac vita corpora nostra sunt ψυχικά, ita etiam in altero seculo futura sunt πνευματικά. Atqui corpora nostra in hac vita ita sunt ψυχικά, ut licet non mutantur in ψυχάς, proprietates tamē animæ accipiant. Ergo etiam in altero seculo ita futura sunt πνευματικά, ut licet non mutantur
in

in *ἁπλοῦς*, proprietates tamen spirituum accipiant. Diversus tamen est accipiendi modus.

LXVI.
TERTIUM ADVERSARII ARGV-
GUMENTVM.

Si corpus Christi editur ore, novum quoque Testamentum ore bibitur: quia non tantum dicitur, panis est corpus Christi, sed etiam calix est novum Testamentum. Luc. 22. 1. Cor. 11. Si enim adversarii urgent verbum edite, nos verbum, bibite, illis regerimus.

Atqui novum Testamentum non bibitur ore.
Ergo neque corpus Christi editur ore.

LXVIII.
RESPONSIO.

In Connexo est error *ἡ ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τῷ μέρει*. In probatione error parium. Non est par ratio harum enunciationum: Hoc est corpus meum: Calix est novum Testamentum: quod putat Iodocus. Alioqui etiam sequeretur, Novum Testamentum bibendum esse fide, non autem sanguinem, aut si hic etiam, tria in Eucharistia esse bibenda: unum ore: duo fide. Quod, opinor, Iodocus non vult.

LXIX.
Nam prioris Subiectum & Attributum loquuntur de iis, quae ad Sacramentum substantiam pertinent: In posteriori Subiectum tantum, Attributo autem, quod est Testamentum novum, pars Sacramenti substantialis non designatur: Itaque nec το Bibite ad hoc referendum est, sed ad illud, quod *πρὸς κατανοήσεως* explicatur, ubi dicitur: In sanguine meo.

LXX.
Sanguis Christi est pars essentialis hujus Sacramenti: idemque est ratio, cur hic Calix Novum Testamentum dicatur, nempe quia sanguinem Christi continet, quem Veteris Testamenti Sacramenta non habebant. Id quod Lucas aperte indicat. Hoc poculum, dicens, est novum Testamentum in sanguine meo, quod pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. At qui solus sanguis Christi in remissionem peccatorum effunditur. Ex quo sequitur poculum illud vel sanguinem Christi esse, vel continere sanguinem Christi. Non prius. Ergo posterius.

LXXI.
Quamobrem, sicuti in prima Eucharistiae parte dicitur: Hoc est corpus meum: Ita Mattheus & Marcus de altera pronunciant: Hoc est sanguis meus.

LXXII.
Probat autem Iodocus Minorem, quam nemo arguit, inde, quod Testamentum novum nihil aliud sit, quam remissio peccatorum, sanguine Christi parta, renovatio hominis per Spiritum sanctum & vita aeterna. Syllogismo tali: Si novum Testamentum bibitur ore, etiam remissio peccatorum, Spiritus

Spiritus S. & vita æterna possunt ore bibi: quia hæc sunt ἰσοδυναμῆντα.
Atqui remissio peccatorum, Spiritus S. & vita æterna non possunt
ore bibi.

Ergo etiam novum Testamentum non bibitur ore.

LXXII.

In qua probatione hoc vitium inest, quòd confundit Testamentum cum re Testa-
menti. Testamentum .n. propriè est illud, quo continetur voluntas testatoris, de bonis
disponentis. Remissio autem peccatorum, Spiritus S. & vita æterna sunt bona, de qui-
bus in Testamento disponitur. Quemadmodum igitur Promissio & Res promissa non sunt
τοῦτο: ita nec Testamentum & Remissio peccatorum, Spiritus S. & vita æterna.

LXXIII.

Nec aliud intelligi potest in locis, quos adversarius citat, è Jer. 31. v. 31. & Heb.
8. v. 10. 11. et ex Apologia Augustanæ Confessionis in titulo de Sacra-
mentis & eorum legitimo usu: cuius verba hæc sunt: Si quis utetur Cæna Do-
mini, sic utatur, Quia id est Sacramentum novi Testamenti, ut Christus clarè dicit, ideo
statuat sibi offerri res promissas in N. Testamento, scilicet gratuitam peccatorum re-
missionem.

LXXIV.

Loquitur enim Apologia de Sacramentorum usu, qui est N. Testamenti gratia.
Hujus dispensatio cum sit communis omnibus Sacramentis, restringitur ad hoc Sacra-
mentum, per istas particulas, quas merito urgemus, IN SANGVINE MEO.
Nempe per calicem Eucharisticum non dispensatur N. Testamenti gratia in sanguine
vircorum, nec in vino calicis paschalis, sicuti in Testamento veteri: sed in sanguine
Christi, quem continet.

LXXV.

Occupat Iodocus: Urgent adversarii, non simpliciter dici, calicem esse
Testamentum sive fœdus novum, sed adjungi hæc verba: In sanguine
meo. Subiicit: Verùm quid hæc illos iuvant? Si enim τὸ γινώσκον urgendum
sit, non erit sanguis in calice, sed calix erit in sanguine, atque ita sanguis
futurus est extra calicem, & ex calice, in quo est bibi non poterit.

LXXVI.

Committit autem errorem δὲ τῆς ἰσοδυναμίας. Aliud est Calicem esse novum Testamen-
tum in sanguine: aliud Calicem esse in sanguine. Neq; hoc ex illo sequitur, quemad-
modum non sequitur: Christianus, qui Lubecam ingressus est, est Rex in Dania. Ergo
est in Dania. Item: Luna est luminosa à Sole: Ergo est à Sole.

LXXVII.

Demde Ambiguitas est in præpositione, quæ hic non subiectum, sed causam nota-
t, idemq; quod præpositio Græcorum δὲ. Calix est novum Testamentum in sangui-
ne, id est, per & propter sanguinem Christi.

LXXVIII.

Instat Iodocus: Si sanguis Christi in calice est, aut separatur à corpore,
aut non separatur,

51

Si separatur sanguis à corpore, Christus etiamnum moritur.
Atqui Christus jam non amplius moritur.
Ergo sanguis Christi non separatur à corpore.

LXXIX.

Contrà. Distingvimus inter Separationem naturalem & sacramentalem. Separationem naturalem dicimus illam, qua unio carnis & sanguinis Christi naturalis solvatur: quæ in sola cruce contigit. Separationem verò sacramentalem hanc, qua corpus & sanguis Christi, quæ naturali separatione post passionem ejus nunquam separantur, separantur tamen in dispensatione Sacramenti, in quo distinctè sub distinctis symbolis fruenda præbentur.

LXXX.

Rursum infert Iodocus: Si sanguis Christi cum ejus corpore conjunctus manet, est Christi sanguis in pane quoque & corpus Christi in calice, ac rectè dici potest de pane, quòd sit sanguis Christi, & de calice quòd sit corpus Christi.

LXXXI.

Consequens nego. Alioqui enim sequeretur, in Baptismo non solum Spiritum S. sed etiam Patrem ac Filium percipi, quia hi per essentialis τενοτότητα etiam conjuncti sint illi. Θεολογος. Distinguo autem inter Conjunctionem naturalem, oppositam Separationi naturali. Et Sacramentalem, oppositam separationi sacramentali. Conjunctio sanguinis cum corpore in pane & calice est naturalis, ad quam illud non consequitur, ut dici possit de pane, quòd sit sanguis Christi: sed requiritur Conjunctio sacramentalis, quæ pendet ab ordinatione Christi. Alioqui & Anima & Deitas Christi accipienda essent. adeoq; plus, quàm institutum esset.

LXXXII.

Nihil itaq; in Sacramento percipitur, nisi, quod in eo est actu sacramentali, nempe Corpus, quia solum corpus, ut in pane acciperetur, ordinatum est, juxta illud Hoc est corpus meum. Non autem sanguis, licet is in corpore sit actu naturali. Et nihil est Sacramentaliter conjunctum, nisi quod per Institutionem Sacramenti est conjunctum. Institutio enim est anima Sacramenti.

LXXXIII.

Hinc Durandus: Qui solum hostiam recipit, non plenum sacramentum accipit. Etsi enim in hostia consecrata sanguis est, non tamen ibi sacramentaliter est, eò quòd panis corpus, non sanguinem, vinum, sanguinem, non corpus, significet.

LXXXIV.

ARGUMENTVM QVARTVM AD- VERSARI.

Quarto hoc argumento illud molitur Iodocus, ut monstret verbum, edite, non ad Christi corpus, sed ad panem referendum esse, ideoque in verbis institutionis nullum de corpore CHRISTI ore manducando esse mandatum, Dico, ait,

ia

in verbis institutionis non esse Christi mandatum expressum, ut corpus suum ore edamus: quia verbum, edendi, ad subjectum, ad panem videlicet, est referendum, non ad Christi corpus, ut dicit infra. Disspicienda sunt argumenta, quibus hoc probet.

LXXXV.

Simile sophisma est: Quicquid est in loco meo est in hac urbe. Atqui in loco meo est unicus nummus. Ergo unicus nummus est in hac urbe.

Primum est: Quod Christus in mensa sedens in manus sumpsit, quod fregit, quod fractum dedit discipulis, id à discipulis ore manducatum est. Atqui Christus in manus sumpsit solum panem, fregit solum panem, Ergo à discipulis ore manducatus fuit solus panis.

LXXXVI.

Responsio. *Ασυνλογισία* est, quæ oritur ex insidiosa dispositione exclusiva Solus in Conclusionem. Pertinet enim vel ad Terminum Majorem, vel ad Minorem. Si ad Majorem, plus est in Conclusionem, quam in præmissis. In Majori enim non habetur Exclusiva. Alioqui sic haberet: Quod Christus in mensa sedens sumpsit, quod fregit, quod fractum dedit discipulis, id solum à discipulis ore est manducatum. Falsum.

LXXXVII.

Si ad Minorem, committitur error τῆς διαίρεσος. In Minori enim propositione refertur ad sumptionem & fractionem, hoc sensu, Nihil aliud à Christo fuisse sumptum & fractum quam panem. In conclusionem verò ad manducationem trahitur: nihil videlicet aliud à discipulis ore esse manducatum, quam solum panem. Vulgata est Dialecticorum regula: Determinatio subjecti & prædicati, quæ non est principale membrum, non debet misceri conclusioni.

LXXXVIII.

Quocirca Syllogismum sic corrigimus: Quicquid Christus dedit & discipulos edere jussit, id à discipulis ore manducatum est.

Atqui Christus non solum panem (etiamsi hunc solum in manus sumpserit, solum fregerit) sed etiam Corpus suum dedit & discipulos edere jussit: quia Hoc, quod edere eos jussit, Corpus suum esse asseruit. Ergo non solus panis, sed etiam corpus Christi à discipulis ore manducatum est.

LXXXIX.

Hinc Cyrillus Hierosolymitanus: Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante & dicente: Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Ibidem. Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum; corpus enim est, & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba.

XC.

Hieronymus in Epist. ad Hedibiam, quæst. 2. Nos audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Salvatoris. Gaudentius: Quod annunciatum est, credas, quia quod accipis, corpus illius panis cælestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigere-

768.

ret, sic ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Credamus, cui credidimus
nescit mendacium veritas.

XC.

Assumptionem paralogismi sui, quam concedimus, Iodocus probat rationibus se-
ptem. quarum prima est: Quia expressè dicitur, quòd Christus acceperit &
fregerit panem. Contra: Non sequitur, Christus dicitur accepisse panem, fregisse
panem. Ergo solum panem accepit, solum panem fregit: quanquam aliàs hoc nemo neget.

XCII.

Secunda: Quia Christus non habuit plura corpora. Quod autem
mensæ accubuit, locum non mutavit.

Similis secundæ est tertia: Quia deinde poculum porrexit.

Porrigenis profectò non est corpus porrectum.

Atqui caro Christi mensæ assidens est res porrigens.

Ergo caro Christi mensæ assidens non est corpus Christi porre-
ctum.

XCIII.

Contra. Majorem hujus argumenti negat Augustinus, explicans psalmi 33. titu-
lum, in quo legebat: Et ferebatur in manibus suis. Hoc, inquit, quomodo posset fieri in
homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest
portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secun-
dum literam, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in
manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum, fere-
bat enim illud corpus in manibus suis.

XCIIII.

Negaret itaq; Augustinus, ut ad secundam rationem redeamus, hanc consecu-
tionem Iodoci: Christus non habuit plura corpora, & assidens mensæ locum
non mutavit. Ergo suum corpus sumere & porrigere non potuit.

XC V.

Nos autem ut facilè damus, Christum solum panem in manus sumpsisse, fregisse
& porrexisse, ita solum panem discipulis dedisse & edere jussisse negamus. Illa conve-
niunt soli symbolo: hæc utriq; Symbolo & Christi corpori.

XCVI.

Inquis: Si Christus corpus suum dedit: ergo vel plura habuit corpora, vel locum
in mensa mutavit. Respondeo: Erras τῶν ἀποστόλων ἐλλείπει. Corpus unum habuit, sed
quod nullibi aberat. Quando igitur panis sacramentalis ingerebatur ori, corpus ader-
at, & ita sacramentaliter cum pane manducabatur.

XCVII.

Inde Hieronymus in Epistola supra memorata: Nec Moses dedit nobis panem
verum, sed Dominus Iesus, ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comedi-
tur.

C

98. Quarta

XCVIII.

Quarta ratio. Quotiescunque aliquid corporeum nobis monstratur, id visibile est.

Atqui particulâ, Hoc, nobis aliquid corporeum monstratur.

Ergo illud Hoc, visibile est. Cur ergo Synusista invisibile corpus per illud notari contendunt?

XCIX.

Contrâ. Ambiguitas rursus est in voce visibile. Si intelligatur de potentia, propositio major vera erit, modo intelligatur corporeum opacum, quod visum terminet, ut physici loquuntur. Sin de actu, major universalis non est. Nam si coronatum chartula opertum mittam tibi, & adscribam: Accipe, hic est Coronatus, quem tibi dono: Rem corpoream pronomine δευτικῶν monstro, quam tamen actu non vides.

C.

Itaq; distingvo inter illud, quod oculis monstratur: quod actu visibile utiq; erit: & illud, quod Animo & Fidei monstratur. Corpus Christi monstratur quidem pronomine, Hoc, Animo autem & Fidei, non oculis. Iccirco nec actu videri ipsum necesse est. Videri a. necesse est panem, qui eodem pronomine oculis monstratur. Quippe pronomen istud monstrat totum σωματεπλεγεμένον: principaliter & formaliter corpus, minus principaliter & oblique Symbolum ejus panem. Ac si dicatur: Hoc, quod in pane, quem cernitis, edere vos jubeo, est corpus meum.

C I.

Hinc Theophylactus in cap. 26. Matth. Non dixit, inquit, Hoc est figura, sed hoc est corpus: ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Et Anselmus in cap. 11. prioris ad Corinthios: Hoc est corpus meum: Manducate, quod tribuo, quia hoc est corpus meum: Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantia- liter, quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem.

C II.

Item Theodoretus Dial. 2. Neq; signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. manent enim in priore substantia & figura & forma & videri & tangi possunt, sicut prius: Intelliguntur. a. ea esse, quæ facta sunt & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Paschasius in lib. de Institutione Sacramenti: Nec ita dixit, cum dedit & fregit eis panem, Hæc est, vel in hoc mysterio est quedam virtus, vel figura corporis mei, sed ait non fictè: Hoc est corpus meum: Et ideo hoc est, quod dixit: non quod quisq; fingit.

C III.

Quinta: si Christus in manus sumpsisset suum corpus, illud quoq; in mensa in partes minutas fregisset. Nam vel, Luthero teste, frangere est in multa partiri, et ex integro facere partes.

Atqui Christus suum corpus in mensa in minutas partes non fregit.
Ergo

Ergo Christus suum corpus in mensa in manus non sumpsit:

CIIII.

Contra. Id quod concluditur, nobiscum non pugnare, supra exposuimus. Qui autem cum Augustino sentient, Christum corpus suum prius porrexisse, quam dedisse, rationem & ueritatem in Connexo requirent, negabuntque parem esse rationem Sumptionis & Fractionis: quod Sumptio ad distributionem illam quae, per porrectionem fit, sit necessaria, non autem Fractio.

CV.

Sexta: Vt in institutione alterius Symboli, in propositione siue enunciatō Sacramentoali subjectum loquitur non de invisibili, sed de visibili signo, videlicet calice siue vino: ita etiam propositio prior iam antecedente siue subjecto monstrat rem visibilem & non invisibilem.

CVI.

Contra. In institutione partis alterius Eucharistiae duplex occurrit Sacramentale enunciatum: Vnum Lucae & Pauli, quod Iodocus arripit. Hic Calix est N. Testamentum: Alterum Matthaei & Marci. Hoc vel Hic est sanguis meus. Posterius simile est huic: Hoc est corpus meum. Non. a. prius. 1. Quia articulum, Hic, ad se restringit vox, Calix, quae sequitur. 2. Quia articulus idem in genere convenit cum subjecto, non autem cum predicato, quod generis neutrius est. 3. Quia praedicatum eius non est pars Sacramentalis $\sigma\upsilon\mu\pi\epsilon\pi\lambda\epsilon\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma$, ut monstrari debeat. Est igitur elenchus similitudinis.

CVII.

Idem est in ratione septima: Paulus expressè dicit panem & vinum esse $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ corporis & sanguinis Christi. Quippe mutatum est subjectum, mutatum est attributum. Pro subjecto, Hoc, dicitur, panis: pro attributo, Corpus, dicitur, Communicatio corporis.

CVIII.

Sequitur secundum argumentum: Apostolus Paulus, inquit, fidus verborum Christi interpres, expressè ostendit, quo referendum sit edendi verbum, ad panem ne, an ad corpus. Ait enim, Quotiescunq; de pane hoc ederitis, mortem Domini annuntiate. Item, Homo ita edat de pane hoc, & bibat de calice hoc, &c.

CIX.

Responsio. Est error $\tau\acute{\epsilon}\varsigma\ \alpha\iota\tau\iota\delta$. Paulus refert verbum edendi ad panem. Ergo ad corpus referendum non est. Invertimus argumentum: Paulus refert verbum edendi ad panem, quae dixerat esse communicationem corporis Christi, quem qui indignè edat, reus fit corporis Christi. Ergo verbum edendi, ad corpus quoq; referendum est.

CX.

Tertium argumentum: Quid aliud, scribit, egit Lutherus olim contra Ca. P. 59. rolostadiam, quam ut demonstraret, particulam, Hoc, non corpus Christi, sed panem monstrari. Testis huius est libellus de caelestibus Prophetis, testes sunt alii plurimi eius tractatus.

iii. Respon.

CXI.

Responsio. Sanè aliud egit. Quemadmodum enim contra Carolostadium, Sacramentarie hujus tempestatis Acolum, differuit, δεικτικῶν pronomine monstrari panem: ita solum panem eo monstrari nusquam asseruit: sed in libro posteriore contra Cœlestes prophetas & in Majori Confessione principaliter ad corpus referendum statuit. Et disputat disertè contra Vuiclesum, qui ad solum panem referendum voluit.

CXII.

ARGUMENTVM QUINTVM AD-
VERSARI.

Id tantum habet locum in Cœna Domini, quod est aut terrestre aut cœleste, sive signum aut signatum.

Atqui corpus Christi invisibile & intactile ore manducatum, in Cœna Domini neque est signum, neque signatum.

Ergo corpus Christi invisibile & intactile, ore manducatum in Cœna Domini non habet locum.

CXIII.

Assumptio bimenbris est: Membrum prius, quod ὁ μολογόμενος verum est, probat hoc syllogismo: Omnia sacramentalia signa sunt visibilia. Atqui corpus Christi, quod fingunt, in pane latens, non est visibile. Ergo corpus Christi in pane latens non est signum. Vbi si in descriptione termini minoris vult intelligi à nostris inclusionem localem corporis in pane latentis, hanc ipse affingit illis: Sin verò sacramentalem corporis cum pane unionem è nostrorum sententia intelligit, nihil hic illi fingunt, sed, quod à Christo didicere, docent. Quomodo Dionysius Areopagita signa vocat operimenta obducta divinisissimo Sacramento, corpori Christi. c. 3. p. 3. de hierarch. Eccles.

CXIV.

P. 60.

Sed veniendum ad posterius Assumptionis membrum, quod sic probat:

Nulla res signata percipitur externis corporis organis, nec ab impiis fide carentibus.

Atqui corpus Christi ore manducatum, ex hypothese Synusiastarum, percipitur externis corporis organis & quidem etiam ab impiis fide carentibus.

Ergo corpus Christi ore manducatum non est res signata.

CXV.

RESPONSIO.

In termino Majori est error Ambigui. Distingvimus enim inter rem signatam illam, quæ ad Sacramenti fructum pertinet: de qua Major propositio vera est. Et hanc, quæ ad Sacramenti substantiam pertinet: de qua Irenæus loquitur: Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est. Sed

sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & caelesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

CXVI.

Hanc percipit, quicumque Sacramentum percipit: quod Sacramenti integritas, ut gravissimè Augustinus in libris contra Donatistas ostendit, non pendeat à fide vel ad ministrantis vel sumentis. Indignè quisq; sumens, scribit lib. 5. c. 8. contra Donatistas, dominicum Sacramentum, non efficit ut quia malus est, malum fit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam us, quibus Apostolus dicebat: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducet. &c.

CXVII.

Ita verò cadit irrita Inductio Sacramentorum, qua ex propositionibus predicamentibus, in quibus per subjectum ostenditur signum, per predicatum res signata, sed illa, quae non ad substantiam pertinet, propositionem argumenti modò excussi evincere conabatur Iodocus,

CXVIII.

Præterquam quòd aliis etiam erroribus affecta sit. Quaedam enim propositiones non sunt Sacramentales, propriè sic dictæ, ut quae de Manna, Petra, & sacrificiis Leviticis loquuntur: quaedam sunt ἀναφοραί: ut: Manna est caro Christi: Agnus est pascha: Agnus paschalis fuit Christus portans peccata nostra: quaedam signo caret, ut petra erat Christus: in qua per petram intelligitur petra spiritualis, quae comitabatur Israelitas: quaedam denique re signata omni: ut Agnus fuit pascha. In qua pascha non est res signata Agni: sive substantiam, sive fructum spiritualem istius Sacramenti spectes: siquidem etiam Iudas pascha hoc comedit, de quo discipuli aiebant: Domine, ubi vis, ut tibi paremus pascha? Matth. 26.

CXIX.

Ejusdem farinae sunt: sequentia duo argumenta: 1. Si impius rem signatam sumeret, eodem tempore impius & injustus esset justus & pius. Atqui impius & injustus non potest esse simul pius & justus. Ergo impius & injustus non sumit rem signatam 2. Qui rem signatam percipere vult, eum oportet habere fidem. Atqui impii non habent fidem. Ergo impii non percipiunt rem signatam. P. 61.

CXXI.

Loquitur enim utrunque de re signata illa, quae ad Sacramenti fructum pertinet: ut apparet ex utriusque probationibus, quarum prima sic habet: Qui particeps fit novi Testamenti (calix enim dicitur novum Testamentum) et remissionis peccatorum ac Spiritus Sancti regenerantis, is est justus & pius. Atqui impius fit particeps novi Testamenti, remissionis peccatorum, ac S. S. regenerantis, ex P. 62.

C 3

hypothesi

hypothesi Synusiastarum, Hoc Iodoce doce, tum Phyllida solus habeto. Ergo impius est pius uno & eodem tempore.

C XXI.

Altera sumitur ex 13. articulo Augustanae Confessionis, ejusdemq; Apologia: iis verò locis, ubi utriq; sermo est de Sacramentis in genere. Res Sacramentorum autem in genere signata est peccatorum remissio: quam sola fide apprehendi, nostri quando non professi sunt?

C XXII.

Hisce subjungit Objectionem: Paulus expressè dicit. 1. Cor. 11. impios edere corpus Christi, & manducati fieri reos: ad quam duo respondet: unum: Paulum non loqui de impiis, fide carentibus, sed de piis irreverenter tractantibus externa symbola. Alterum: Paulum non dicere, istos Corinthios
P. 63. *edendo corpus Christi, sed illius sacramentum, factos fuisse reos corporis Christi, quæ injuria signo illata redundet in rem signatam.*

C XXIII.

Contra priorem: Quicumq; dissidiis, scissuris, hæresibus, ebrietati, & offendiculis indulgent, sunt impii fide carentes. Siquidem ista fidem evertunt. Atqui Corinthii, quibus Paulus dicebat, Qui manducat & bibit indignè &c. dissidiis, scissuris, hæresibus, ebrietati & offendiculis indulgebant. 1. Cor. 11. v. 18. v. 19. v. 20. v. 22. v. 34. c. 10. v. 20. v. 22.

Corinthii igitur illi, quibus Paulus loquebatur, erant impii fide carentes.

C XXIII.

Idem probatur ex eo, quòd correcti fuerunt à Domino, ne cùm impio mundo damnarentur. Nam si fide non carebant, nec damnandi erant. Si damnandi non erant, nec corripiendi ideo erant, ne condemnarentur;

C XXV.

Paulus autem, quum loquitur in persona plurali prima, facit hoc, vel quia dicitur accommodat ad ἀντιθεσίαν: quæ dicitur ad omnes Christianos pertinere ut de nobis quoque dicere liceat, Si nos ipsos judicavimus &c. vel utitur Rhetorum figura, quam vocant καίνοπολίαν. Quamobrem τὰ ἀρχαία τῆς λέξεως errat Iodocus, si inde vult concludere, Paulum quoq; fuisse in cætu istorum indignè manducantium. Ἄσκησ' hoc.

C XXVI.

Contra posteriorem: Si Corinthii tale corporis Christi Sacramentum comederunt, cujus pars fuit ipsum Christi corpus, sequitur Corinthios reos factos esse corporis Christi, edendo non solum panem, sed etiam corpus. At verum prius. Quare & posterius.

C XXVII.

Consecutio propositionis vera est: Si enim Sacramentum comederunt, cujus integritatem ἀσίσια hominum evacuare non potest: Ergo comederunt etiam corpus Christi. Assumptionem nemo negabit. Comederunt enim panem illum, de quo dictum

erat in eodem capite: Hoc est corpus meum: Et in precedente: panis quem frangimus.
nonne est communicatio corporis Christi?

CXXVIII.

Rursum: Si Corinthii rei facti sunt corporis Christi, quia signum corporis Christi, (hoc enim Sacramentum vocat Iodocus) panem, indignè comederunt: etiam V. Testamenti patres, qui Manna & lympham Petre, ejusdem corporis Christi signa, irreverenter tractarunt, dicemus factos fuisse reos corporis & sanguinis Christi. Quod tamen nemo facile dixerit: et refellitur à diexodo Pauli, Reatum istum è verbis institutionis, tanquam medio τὸ δῶρον, inferentis: ut apparet è particula ὡς. Itaq. 1. Cor. 11. v. 27. Item ex argumento Pauli à minus ad magis in cap. 10. Si Patres V. Testamenti, irreverenter tractantes ista corporis Christi signa, quæ figuræ tantum erant, & corpus ac sanguinem Christi non continebant, divinitus fuerunt pœnis affecti, ergo multo magis Corinthii, indignè manducantes panem, qui est communicatio corporis Christi, & indignè bibentes vinum, qui est communicatio sanguinis Christi, divinitus plebentur.

CXXIX.

ARGUMENTVM SEXTVM AD- VERSARIUM.

In relatione fundamentum, materiale & essentia relativi non est in essentia & materiali correlativi.

Atqui panis & corpus Christi, sunt in hac relatione sacramentali fundamenta & materialia.

Ergo panis essentia non est in essentia corporis Christi, nec corporis Christi essentia est in essentia panis.

CXXX.

Quid si Iodocus credat, Invenisse se hic, non quod pueri in faba? Siquidem Declarationem ejus uberem satis instituit, in qua pertinent ad Majorem explicandam ista: Materialia & fundamenta locorum intervallis semper sunt distincta. Item: In omnibus relationibus relativi materiale non est essentia sua in materiali sive essentia correlativi, & materiale sive essentia correlativi non est in materiali sive essentia relativi.

P. 60.

CXXXI.

RESPONSIO.

Primum, si Fortun. Crellius, qui eodem argumento triumphat, vera prodidit de Fundamento Relationis, quod docet esse Accidens aliud absolutum, non substantiam. error Iodoci fuerit, quod Subjecta Relatorum cum Relationis fundamento confudit. Sed abeat hoc.

CXXXII.

Deinde illud, an Sacramenta definienda sint è Relatis. Hoc enim vult scribens Quis nescit, sacramenta ad relata referri? Nostri verò è Categoria Actionis definiendum.

audum censent: quia pendent à mandato, cui agendo obtemperandum est: quia materia non potest esse genus materiati effecti: Sacramenti autem materia est signum: quia Sacramenta non sunt Sacramenta extra usum: ante usum tamen $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ illa signi ad signatum esse potest. Non enim negamus esse in Sacramento, quæ ad se mutuò referantur: licet Sacramentum relatam esse negemus.

CXXXIII.

Tertiò Majorem argumenti propositi universalem esse negamus $\alpha\pi\omicron\tau\omicron\mu\omega\varsigma$. Deus PATER est in Deo FILIO: $\delta\lambda\omicron\gamma\omicron$ VNITVS humanae naturæ, est in humana natura sibi VNITA: CREATOR est in CREATURIS: Spiritus S. SIGNATVM in columba SIGNO: Baptista FILIVS in utero Elisabethæ MATRIS: omni- noque CONTENTVM in CONTINENTE. INEXISTENS in EO, CUI INEX- ISTIT: EXHIBITVM IN EO, PER QVOD EXHIBETVR: quæ tamen omnia Relata sunt.

CXXXIV.

Non igitur $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ simpliciter impedit, quò minus Relatum suo correlato vel inesse vel adesse possit, sicuti Pater (quo exemplo lococus infeliciter utitur) æquè refer- tur ad Filium in sinu recumbentem, quàm locorum maximis intervallis disjunctum. Et Antagonista non minus refertur ad Antagonistam, in cuius capillis hæret, quàm si ab ipso longissimè absit. Certa tamen $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ ratio aliquando impedit.

CXXXV.

Proinde distingvimus Relata. Alia talem $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ habent, quæ constare non potest, nisi vnum ab altero absit: siue temporis siue loci ratione. Eiusmodi $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ habent spes et $\epsilon\lambda\pi\iota\sigma\omicron\upsilon\pi$, res sperata: Expectans, expectatum: Metus, id quod metuitur: Typus, figurans rem futuram et Antitypon: Locus supremus, locus infimus: Vviteberga dis- sita Sigenà adeoq; Absens & Absens.

CXXXVI.

Alia habent $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\epsilon$ talem, quæ constare non potest, nisi vnum alteri vel insit vel adsit: licet inexistentiæ & præsentia non semper sit eadem ratio. Eiusmodi Re- latio est inter loculum continentem et nummos contentos: quæ est physica præsentia: DEum patrem & Deum filium: quæ est præsentia hyperphysica et $\delta\upsilon\sigma\tau\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$: $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$ Et Humanam naturam unitos: quæ est præsentia Hypostatica: Panem & Corpus Christi: quæ est præsentia mystica seu Sacramentalis, omninoq; inter præsens & præsens.

CXXXVII.

Cyr. Hieros. Hujus loci sunt illa Veterum Doctorum, quando nos dicunt Christophoros, id
in Catech. est Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus:
Gr. Nyssen. quando docent Fidelium corporibus corpus Christi Coniungi, vt ea conjunctione cum im-
Opt. Mile- mortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat: quando altare vocant sedem corporis
vit. l. 6. con. & sanguinis Christi: Et Calices Portatores sanguinis Christi: Et alia eiusmodi.
Parmenian.

CXXXVIII.

Alia sunt medij generis, quae talem habent $\sigma\chi\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$, quae constare potest, ut lo-
bet illa vel praesentia inter se vel absentia sint. Eiusmodi $\sigma\chi\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$ erat inter Isaacum
Patrem & Iacobum Filium: Davidem amicum & Ionatbanem amicum: Rudolphum.
II. hostem & Mechemetem hostem Turcicum.

CXXXIX.

Equibus apparet, qualis sit praesentia & Unio, quam inter panem in his terris
& Corpus Christi in caelis constitutum Calviniani esse docent, & quam $\sigma\chi\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$ unius ad
alterum definiunt, quum Absentis ad Absens etiam sit $\sigma\chi\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$: & nihil, nisi alterius
respectu, abesse dicatur.

CXL.

ARGUMENTVM SEPTIMVM AD-
VERSARI.

Quotiescunque rei corporeae recordamur, ea corporaliter & loca-
liter corporibus nostris praesens esse non potest.

Atqui in actione sacramentali recordamur rei corporeae, videlicet
carnis Christi, pro nobis immolatae

Ergo in actione sacramentali non potest caro Christi praesens esse
corporaliter & localiter corporibus nostris.

CXLI.

RESPONSIO.

Concedimus, quod concluditur argumento. Quippe quum carnem Christi cor-
poraliter (quatenus haec vox non ipsam rem praesentem sed praesentiae modum notat)
& localiter corporibus nostris in cena praesentem esse nostratum nemo asserat: non
contradicit ipsis qui negat. Interim Majorem falsam esse dicimus: quod fieri possit &
factum sit non semel, ut quis recordetur apud animum amici, quem, oculis alio retrac-
tis, adesse non animadvertibat.

CLXII.

Nam recordatio, ut Philosophi cordatissimi docent, aliud nihil est, quam $\epsilon\nu'\sigma\gamma\epsilon\alpha\alpha$ Ima- Zach. c. 11.
ginativa vel Intellectus, recolentis & legentis rerum species à libro memoriae, quae ipsa- de fac. an.
rum est servatrix. Quod sanè aequè fieri posse, si res ipse praesentes adsint, quam si ab- Scal. ex. 37.
sint longissimè, (modò sensus externos non moveant) Iodocus, opinor, intelligit. Nam 2. & 28.
si sensus externos moveant, tum potius videre, audire, odorari &c. eas dicimur, quam
recordari.

CXLIII.

Vnde Majorem infringimus hoc modo: Quotiescunq; cogitamus de re sensus exter-
nos inter cogitandum non afficiente, prius tamen cognita, recordamur ejus.

Atqui saepe fit, ut cogitemus de re aliqua corporea, nobis praesente, & prius no-
bis cognita, ut tamen sensus externos non afficiat.

D

Ergo

Ergo saepe fit, ut rei corporeae praesentis recordemur. Et vi consequentis falsa est propositio major, praesentem non posse rem corpoream esse, cuius recordamur.

CXLIV.

Quod si jam Recordatio potest earum corporearum rerum esse, quae praesentes adesse possunt, ut tamen non cieant visum: quanto potiori ratione in Actione Eucharistica corporis Domini recordabimur, cuius praesentia est mystica, & modus existendi non corporalis & localis, sed mysticus, ut visum ciere nec debeat?

CXLV.

Quemadmodum igitur Creatoris nostri jubemur in juventute nostra meminisse. Eccles. 12. & memoria Dei permansura dicitur in generationem & generationem Ps. 102. non quod Deus absit, sed ideo duntaxat, quod non conspiciatur nobis: ita in Cena Domini recordabimur carnis Christi non quod absit, sed quod non conspiciatur à nobis. Nec amplius quicquam Iodocus, etiamsi demordeat unguis, inde efficiet.

CXLVI.

Sed quorsum haec? Minor etiam non rectè habet. Intelligimus ex Paulo, quem in rem nostram adduxit adversarius, Recordationis Eucharisticae objectum esse mortem Christi. Ita enim hortatur, ut Quotiescunque de hoc pane editur, & de poculo hoc bibitur, mors Domini annuncietur, donec veniat. Inde ergo explere possumus esuriam Iodoci, rem absentem deposcentis.

CXLVII.

P. 65. Infert autem ex eodem loco adversarius: Memoriale corporis redituri notat memoriam corporis corporaliter absentis. Atqui panis est memoriale corporis Christi in terram redituri. Ergo panis notat memoriam corporis Christi corporaliter absentis.

CXLVIII.

Contra. Conclusio, ut supra, non pugnat nobiscum: nisi fortè adverbio, corporaliter, non modum, sed veritatem rei exprimi velit, ut idem sit corporaliter absens, quod realiter absens, vel corpore absens. Hoc si vult primus igitur error est Ambiguitas: Secundus in Majori, quae falsa est. Memoriale enim corporis redituri, non notat memoriam corporis absentis realiter, & simpliciter, sed tantum absentis κατὰ τὴν: nempe secundum eum modum, secundum quem est rediturum: visibilem, localem, corporalem, naturalem. Tertius in minori est error Relatorum. Paulus memorialis hujus correlatum constituit Mortem Domini: non rediturum corpus Domini.

CXLIX.

ARGUMENTVM OCTAVVM AD- VERSARIUM.

Si corpus Christi ore manducatur, etiam κοινωτικόν corporis Christi de qua Paulus loquitur, oralis futura est.

Atqui κοινωτικόν corporis Christi, de qua Paulus agit, non est oralis.
Ergo nec corpus Christi manducatur.

CL.

Assumptionem duplici prosyllogismo probat. Prior est: Si κοινωνία corporis Christi oralis est, etiam Diaboli manducarentur ore, Atqui Diaboli non manducantur ore: quia sunt Spiritus. Ergo κοινωνία corporis Christi non est oralis.

CLI.

Hujus prosyllogismi propositionem ex eo liquere scribit, quod Apostolus inter se opponit κοινωνία Daemoniorum & κοινωνία Christi: Et hasce duas propositiones: εἰδωλόθυτα id est carnes idolis immolatae sunt κοινωνία Daemoniorum, & panis est κοινωνία corporis Christi.

CLII.

RESPONSIO.

In probatione prosyllogismi est error πᾶσα τὸ ἐσθόμενον. Non sequitur: Paulus opponit duas hasce propositiones: εἰδωλόθυτα, id est carnes, idolis immolatae sunt κοινωνία Daemoniorum, & panis est κοινωνία corporis Christi. Ergo qualis est κοινωνία Daemoniorum, talis est κοινωνία Corporis Christi. Primum quia aberrat à scopo Pauli, qui infert Quaestionem An sit. Dehortatur enim Corinthios ab esu idolothytorum, quia sint Communicatio Daemoniorum: quod inde planum reddit, quia panis sit communicatio corporis Christi. Ista verò argumentatio concludit Quaestionem, Qualis sit.

CLIII.

Deinde quia oppositio seu potius collatio Pauli sit κατὰ γένος, non κατὰ εἶδος: quae collatio satis idoneum medium erat ad probandum institutum. Quod inde manifestum est, quia cum eadem κοινωνία Daemoniorum confertur etiam κοινωνία unius nostrum ad alterum in corpore Christi mystico per eundem panem: item, participatio altaris per esum hostiarum. Quae certe κοινωνία quoad speciem, neutiquam similes sunt vel κοινωνία corporis Christi per panem, vel κοινωνία Daemoniorum per idolothyta: haec verò omnes inter se similes sunt ratione generis, qua participes fiunt alterius, qui sumunt unum: etiamsi alius sit modus participationis hic: alius illic: alius isthic: alius ibi.

CLV.

Quocirca a hunc ἀπαγωγικὸν Iodoci argumento impingimus: Si talis est corporis Christi in Cæna κοινωνία, qualis erat κοινωνία Diabolorum in epulo idolothytorum: Ergo quemadmodum Diaboli à Corinthiis in epulo idolothytorum nec ore manducabantur, nec fide, (erant enim conversi ad fidem Christi) ita corpus Christi in Cæna Domini nec ore, nec fide manducabitur: Et vi consequentis planè non manducabitur. Atqui consequens absurdum. Absurdum igitur & Antecedens. Error est à dicto secundum quid: quod ut simpliciter dictum accipi noluisse Paulum, inde etiam patet, quod exemplum hoc κοινωνίαe prolaturus, praefabatur: Ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicete, quod dico.

CLV.

Posterior pro-syllogismus Assumptionis est: Si *κοινωνία* corporis Christi, de qua Paulus loquitur, esset oralis, etiam impij in ejus societatem pervenerent, quippe quibus ora non desunt.

Atqui impij in *κοινωνία* illius societatem non perveniunt: ut exprimitur 1. Cor. 10. v. 21. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum.

Ergo *κοινωνία* corporis Christi, de qua loquitur Paulus, non est oralis.

CLVI.

Respondeo: Minor est falsa. Quia sermo est de Sacramentali *κοινωνία*, quæ sita est in Sacramenti perceptione, cujus pars est corpus Dominicum, quæq; communis est pijs & impijs, quum neutris ora, quibus fit, desint.

CLVII.

In propositione error est *ωσαύτῃ τῆς ὁμιλουμένης*. Distingvimus enim inter participationem Sacramenti dignam & salutarem: & inter participationem ejusdem indignam & infructuosam. Illa Corinthiis, qui participes fiebant mensæ Dæmoniorum, non poterunt participes fieri mensæ Domini. Hac autem non solum fieri poterant, sed etiam fiebant: quò nomine reprehenduntur à Paulò.

Hinc August. contra Petilia- num l. 2. c. 47. Mensa Domini utriq; & Iude & Petro una fuit sed non utriq; valuit ad unum.

CLVIII.

Enimverò nihil aliud est mensa Domini, quàm Cæna Dominica: quam ab ipsis per esum idolothytorum, aliq; peccata profanari indicat Paulus v. 20. 1. Cor. 11. indignè sumi, ejusdem cap. v. 27. Quicumq; manducaverit panem hunc &c. indignè.

CLIX.

ARGUMENTVM ADVERSARIJ NONVM.

Si Christus jam corpore sive sanguine suo effuso in terris esset, non esset sacerdos noster Heb. 8. v. 4.

Atqui Christus in æternum futurus est sacerdos noster.

Ergo Christus corpore & sanguine suo effuso non est in terris.

CLX.

RESPONSIO.

Error est *ωσαύτῃ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως*. Siquidem in terris esse Auctori Epistolæ ad Hebræos aliud nihil est, quàm instar Sacerdotis terreni terrestria sacra seu munera, quæ celestium umbræ sunt, administrare seu offerre. Conspicuum hoc est ex Analyse textus. Dissertit Apostolus: Christum celestia administrare sacra & tabernaculum verum, quod fixit Deus, non homos argumentando hunc in modum:

Omnis Pontifex munera & hostias offerre debet.

Christus est Pontifex.

Ergo

Ergo Christus munera et hostias offerre debet,
Porro: Munera illa vel sunt caelestia vel terrestria.

At non sunt terrestria. Ergo caelestia.

Assumptum probat: Si munera, quae Christus offert, essent terrestria, ipse non esset
Sacerdos, summus nimirum ille.

Atqui Christus est summus ille sacerdos.

Ergo munera, quae offert, non sunt terrestria.

Connexum probat rursus: Nam quicumque offert terrestria munera, deservit exemplari
& umbrae: qui vero deservit exemplari & umbrae non potest esse summus sa-
cerdos ille, qui complementum horum futurus erat.

CLXI.

Alias ne quidem fuisset sacerdos Christus, quando in his terris versabatur in
statu *κένωσις*, in quo tamen sacerdotij sui praecipuas partes eum obisse certum est:
siquidem praesentia eius in terris obstat, quo minus possit esse sacerdos.

CLXII.

Sed excipiet Iodocus: praesentiam in terris non obstat isti functioni sacerdotalis
muneris, quae est, Sacrificare pro hominum peccatis: id quod interris sit peractum: sed
huic, quae est, Ingressus in Sanctuarium, quod sit in caelis.

CLXIII.

Contra: Apostolus in loco citato, ut modo ostendimus, non agit, nisi de oblatione
summi Sacerdotis Christi: Ingressus ejus in tabernaculum nihil meminit. Concludo itaque:
Si de Christo Sacerdote nostro, in terris hostiam suam offerente, dictum est: Si esset in
terris, non esset Sacerdos: sequitur hoc in loco, esse in terris aliud significari, quam praesentem
esse in terris. Alioquin implicaretur Contradictio. Atqui verum est Antecedens:
ut modo ostendimus, et colligitur e ratiocinativa conjunctione, qua ex eo, quod dixerat:
Necesse est & hunc habere aliquid quod offerat: infert: Si ergo super terram esset, nec
Sacerdos esset. Verum igitur quoque est consequens.

CLXIV.

Fac autem loqui Apostolum de Ingressu: argumentum inde exhibit tale: Si Chris-
tus sanctuarium caeli nondum esset ingressus, non esset Sacerdos: videlicet talis, qui
omnes officii partes expleat. Atqui si Christus in terris esset, nondum ingressus esset
sanctuarium caeli. Ergo si Christus in terris esset, non esset Sacerdos. Est vero Sacerdos
Christus. Ergo non est in terris.

CLXV.

Contra: Ambiguitas est in Minore: Si Christus in terris esset, nondum ingres-
sus esset sanctuarium: nempe secundum illum praesentiae modum, qui conjunctus erat
cum statu *κένωσις*, in quo se victimam patri offerre debuit. Ejusmodi praesentia
pugnat cum Ingressu Sacerdotis in sanctuarium, qui ante peractam victimam non po-
tuit fieri, quae praesentiae talis finis erat. Non autem adversatur ei Christi hominis per-
sonalis

D 8

sonalis

sonalis praesentia, et, quae huic subordinata est, Sacramentalis in his terris. Ita hic quoque funis, quod dici solet, nihil attraxerit.

CLXVI.

Huc usq; τὸ ἀντίπαλον, adversarii argumenta, demoliti sumus: progrediendum nunc ad defensionem τῶν δικαίων, trium nimirum argumentorum, quae Iodocus refutanda sibi sumpsit.

CLXVII.

PRIMUM ARGUMENTUM LV.
THERANORVM.

Quicquid Christus dicens, edite, iussit in Cæna manducari, id manducatur ore.

Atqui corpus Christi est id, (saltem ex parte) quod Christus dicens, edite, iussit manducari in cæna.

Ergo corpus Christi manducatur ore.

CLXVIII.

Assumptionem negat Antagonista. Nos antequam rationes, quibus adductus negat, excutiamus, demonstramus eam: Syllogismo tali: Si Christus dicens edite, hoc, quod corpus suum esse dicebat, manducari ore iussit, sequitur eum iussisse, ut corpus suum in cæna manducaretur.

Atqui Christus dicens, edite, iussit ore manducari hoc, quod corpus suum esse dicebat, juxta illud: Edite: Hoc est corpus meum.

Ergo iussit Christus, dicens, edite, ut corpus suum manducaretur ore in Cæna.

CLXIX.

Assumptum non negabit nisi cerebro vacuum caput. Adversus propositionem autem machinam illam Sacramentalis Metonymiae admoveo, opinor, conabitur Iodocus, ut, quod contribulibus ipsius in ore est, dicat: Connexum falsum esse, quia μετῶν μακρῶν à Christo dictum sit: Hoc est corpus meum: ideoq; proprie non esse accipienda hæc verba. Hoc igitur probandum erit nobis.

CLXX.

Quod sic expeditur: Si in interpretatione verborum Cæna: Edite, Hoc est corpus meum: nulla gravis satis urget ratio, quamobrem à Significatione eorum propria sit recedendum, multæ verò urgent, quamobrem sit retinenda, omnino est retinenda.

Atqui in interpretatione verborum Cæna: Edite, Hoc est corpus meum, nulla gravis satis urget ratio, quamobrem à significatione propria eorum, sit recedendum, urgent verò multæ cur sit retinenda.

Ergo est omnino retinenda.

CLXXI.

Connexum nititur Theoremate Theologorum celeberrimo: Standum est propria significatione verborum, nisi evidenter probetur contrarium. Secus ψευδογροφίαι in Theologia admittitur: & fidei πληροφορία labefactatur.

CLXXII.

Assume

Assumptionis membra sunt duo: Prius: Nullam satis gravem rationem urgere, quamobrem à propria verborum Cœnæ significatione sit recedendum: probatur sic. Si in interpretatione verborum Cœnæ: Edite, Hoc est corpus meum: propria verborum significatione contradictionē non implicat, vel adversus res ipsas, vel adversus alios fidei articulos, aliāq; Scripturæ testimonia, sequitur nullā satis gravem rationem urgere, quamobrem à propria verborum significatione sit recedendū. Verum Antecedens. Verum igitur & consequens.

CLXXIII.

Negant illi assumptum: Et dicunt implicari primò contradictionem adversus res ipsas, quandoquidem corpus unum multis in locis simul esse dicatur ὀντιφαινωε; quod autem fieri necesse sit, si propria verborum Cœnæ significatione obtinere debeat.

CLXXIV.

Contrà. Dicunt illi quidem: ostendere verò, etiamsi in cotes & acumina toti vertantur, nunquam poterunt. In quo tamen operæ pretium facerent maximum, quod fundamentum sit, in quo universa ipsorum de Eucharistia ετεροδιδασκαλία insistit: Et principium, à quo disputatio ipsorum omnis oritur & in quod tandem resolvitur: modò velint tuto in portu collocare conscientias fluctuantes, quibus hoc est persuasum, posse Deum facere ultrà, quàm cogitare possimus.

CLXXV.

Neq; continuo ὀντιφαινωε est in mysteriis divinis, quod speciem ὀντιφαινωε ostendit nobis. Alioqui neganda esset Trinitas. Siquidem intellectu difficilius est, & nodo tenaciori contradictionem implicare videtur, unam naturā esse in tribus personis, & cū singulis realiter esse unum & idem, quàm unum corpus in pluribus esse locis, cum quibus tamen ipsum unum non est. Neganda esset resurrectio. Siquidem Philosophis hoc etiam axioma ὀντιφαινωε est. Id quòd semel interiit, idem numero redire non potest. Et tamen fides Christiani statuit, eadem numero corpora, quæ cum suis accidentibus interierunt, in vitam reditura esse cum iis, si non omnibus, aliquibus tamen.

CLXXVI.

Vt admiranda sit superiorum ætatum sobrietas, quarum Doctores orthodoxi vix unquam Contradictionis mentionem faciunt, nedum ut obliquā ejus specie à verborum proprietate in angusto hoc Sacramento depulsi fuerint, sed ipsi fidei oculos ad omnipotentiam ejus, qui dixit, convertendos sedulò monent, veritatem præsentiae corporis Christi commendant, mysterii magnitudinem admirantur.

CLXXVII.

Audiamus Hilarium. De veritate carnis & sanguinis, inquit is, non est relictus ambigendi locus: nūc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Item: Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neq; per violentam atq; impudētē prædicationem cœlestium dictorum sanitati, alienæ atq; impie intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim Christi in nobis veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impie dicimus: ipse enim ait: Caro mea verè est esca &c.

178. Simile

CLXXVIII.

Simile est illud Leonis: Sic sacra mensae communicare debetis, ut nihil profus
de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide cre-
ditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, dispus-
tatur.

CLXXIX.

Sed quid verbis opus? Ipse $\tau\acute{o}\omega\ \&\ \pi\alpha\iota\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ coarguit eos, vetans $\mu\epsilon\tau\alpha\beta\alpha\lambda\acute{\upsilon}\nu\alpha\iota$
 $\mu\epsilon\ \&\ \alpha\lambda\lambda\omicron\ \gamma\acute{\epsilon}\nu\omicron$: quòd sanè faciunt, qui principis Philosophiae & Rationis Articulus
fidei in Theologia metiuntur. Rectè enim alicubi Sadeel vester: Nihil potest esse Theo-
logiae principium, quod S. scripturae repugnat, aut ab ea cõdemnatur. Inter humanam ras-
tionem autem & doctrinam sacram sepius $\delta\upsilon\tau\iota\theta\epsilon\iota\varsigma$ intercedit, tantùm abest, ut sub-
 $\sigma\omega\acute{\epsilon}\chi\epsilon\alpha\iota$. Humana igitur ratio non est Theologiae principium. Et postea: Semper ma-
nebo intra scripturae fines: et propterea sentio in animo fidei $\pi\lambda\eta\rho\phi\omicron\sigma\iota\alpha\iota\alpha$, quae profectò
non esset, si egressus è scriptura sacra, vagarer per humana argumenta. Haec Sadeel:
tu lodoce ruminata.

CLXXX.

Deinde obiiciunt Articulum Ascensionis Christi in Caelos. Contrà: Si verum no-
trum esse potest: Corpus Christi in caelo esse, idemq; in caena his in terris esse: Articulus
ascensionis non urget, ut propriam significationem verborum Cænae deseramus. Ver-
vum prius. Verum igitur posterius.

CLXXXI.

Assumptum illi negant: At ex quo principio? Cramben suam reponunt, Quia
corpus unum in duobus locis esse non potest. Haec est anchora $\pi\lambda\eta\rho\phi\omicron\sigma\iota\alpha\iota\alpha$ ipsorum.
Contrarium autem verum esse posse, & ut verum sit, necesse esse, è natura Circum-
scriptionis localis, ex Vnione personali, aliisque argumentis monstrari potest. Hic pre-
mimus illud: esse principium tale $\epsilon\tau\epsilon\rho\gamma\epsilon\iota\epsilon\varsigma$: ut ex eo de dogmatum divinorum verita-
tate statui non possit: praesertim cum sepius $\delta\upsilon\tau\iota\theta\epsilon\iota\varsigma$ intercedat inter doctrinam sa-
cram & humanam rationem: ut modò dicebatur.

CLXXXII.

Tertiò afferunt quaedam Scripturae dicta: quae si $\delta\upsilon\tau\iota\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\epsilon$, alicujus cornu fer-
riunt verba institutionis, quaeritur: Vtrum haec potius, an illa cedere debeant à signifi-
catione propria, si opus sit? Certè illa. Siquidem $\delta\epsilon\upsilon\alpha\upsilon\tau\iota\lambda\epsilon\kappa\tau\omicron\upsilon$ est Theologorum The-
orema: Cujuslibet doctrinae explicatio & genuina sententia inde fieri & constitui de-
bet, ubi est sedes ejus. Rursum igitur $\tau\epsilon\upsilon\delta\omicron\gamma\epsilon\acute{\alpha}\phi\omicron\mu\alpha$ in Theologia admittunt, qui ut
servetur propria significatio iis, quae pro re nata alicubi fortean dicta sunt, verbi In-
stitutionis, doctrinae Eucharisticae sedem & fundamentum, à germana significatione ex-
turbant.

CLXXXIII.

Posterius Assumptionis membrum: Virgere graves satis rationes, quamobrem re-
tenda sit proprietate significationis verborum: nunc quoq; probandum. Vbi eas tantum
recense-

recensebimus, quæ verborum interpretationem attinent: omiſſis argumentis cæteris, quibus præſentia realis corporis in cœna his in terris demonſtrari etiam ſolet.

CLXXXIV.

Prima eſt: Quia ſunt verba Sacramenti. Conſtat enim, Deum verbis propriis Sacramenta ſanxiſſe, ne in uſu eorum erretur. Genef. 17. Exod. 12. Matth. 28. Adde totum Leviticum, in quo Sacrificiorum ritus verbis propriis explicantur.

CLXXXV.

Secunda: Quia ſunt verba Teſtamenti. Conſtat enim in Teſtamentis, ne litigandi anſa heredibus præbeatur, verbis planiſſimis & propriis Teſtatoris voluntatem enunciari. Gen. 49. Exod. 24. 3. Reg. 2. Tob. 4. 1. Mac. 2.

CLXXXVI.

Tertia: Quia ſunt verba unius è præcipuis Chriſtiana fidei dogmatis: quæ in ſediſ ſuis verbis propriis explicari ſolent, ut ſiat canon & norma eorum, quæ ſparſim dicuntur alibi.

CLXXXVII.

Quarta: Quia eodem ferè tenore recitantur à tribus Evangelis & quarto, à poſtolo Paulo: quum ſcriptura aliàs ſoleat clarius exponere, quod alicubi obſcurius erat dictum.

CLXXXVIII.

Quinta: Quia nullum extat ſcripturae teſtimonium, quod de Euchariſtia loquatur & innuat, Corpus Chriſti in cœna præſens realiter non eſſe.

CLXXXIX.

Sexta: Conſenſus Eccleſiæ Doctorem, qui de Tropo in verbis Cœnæ neſcio an vel ſuſpicati ſint. Tanta cum κατὰ λόγον loquuntur de præſentia: Ut etiam poſteriora ſecula ad μετὰ λόγον opinionem delapſa fuerint occasione iſtorum dictorum.

CXC.

Concludimus itaq; τὸ γινώσκον in verbis Cœnæ eſſe ſequendum: & progredimur ad rationes, quibus inductus principalis ſyllogiſmi Minorem Adverſarius negat.

CXCI.

Primum, Suprà, inquit, oſtendi, verbum edendi, non ad corpus Chriſti, P. 67. ſed ad panem referri. Contra: Capra nondum peperit, & hædus ludit in tectis. Nichil oſtenſum ibi, niſi præſtigie: quas diſpulinus.

CXCII.

Deinde ſi ἀναγωγικῶς & ἀναλογικῶς externam panis manducationem, tanquam ſignum, referre velimus ad rem ſignatam, itidem propoſitio eſt P. 68. falſa: Nam non tantum ſymbola & ſigilla, ſed etiam corpus Chriſti fide & ſpiritualiter in Cœna manducatur, uti negare non poſſunt Synuſiaſtæ. Duplicem enim ſtatuunt manducationem, ſacramentalem & ſpiritualem: illam dicunt ore fieri, hanc fide: cum ergo, vel ipſorum ſuffragio & teſtimonio, ſpiritualiter corpus Chriſti per ſolam fidem manducetur, ſequitur,

E

non

non omne, quod in Cœna editur, manducari ore: alioqui etiam spiritualiter corpus Christi ore ederetur.

CXCIIII.

Syllogismus inde talis: Si corpus Christi in cœna fide manducatur, falsum est, manducari ore, quicquid Christus dicens, edite, iussit manducari. Atqui Synusistæ quoque corpus Christi fide manducari docent: quando duplicem statuunt manducationem Sacramentalem, quæ ore fiat, & Spiritualem, quæ fide. Ergo falsum est &c.

CXCIV.

Contrà: Connexum nego. Ratio: Quia non omne, quod quoquo modo in cœna manducatur, Christus dicens, edite, ore manducari iussit: sed tantum quod Sacramentaliter manducatur. Quod verò corpus Christi spiritualiter quoque per fidem, in cœna manducatur, non sancita est hæc manducatio isto Christi iussu, huius Sacramenti proprio: sed generali illo Theoremate: Sacramenta sine fide sunt, sine fide autem non profunt.

CXCV.

Tertiò scribit: Ex hisce liquet, assumptionem quoque falsam esse: quia nusquam in cœna mandatum expressis verbis exstat, quo juberemur corpus Christi edere.

CXCVI.

Contrarium supra evicimus. Addimus: Quicquid est pars substantialis alicujus Sacramenti, hoc in Sacramento sumendum expresso verbo est institutum. Atqui corpus Christi est pars Sacramenti Eucharistici substantialis. Corpus igitur Christi in Sacramento Eucharistico sumendum expresso verbo est institutum.

CXCVII.

Propositio Major est manifesta. Quis enim in Sacramento accipiet, quod Deus, qui solus est Sacramentorum auctor, in Sacramento nec accipiendum iussit, nec se daturum promisit. Et qui expresso verbo externum symbolum sumendum iussit, principalem Sacramenti partem expresso verbo sumendam non jusserit. Αλογον. Minor εναντιλεκτης vera est.

CXCVIII.

Rursum: Si esus corporis Christi expresso verbo in Cœna non est institutus, non illico corporis Christi reus fuerit, qui ipsum non dijudicat. Nam quod expresso verbo non est mandatum, unde dijudicandum noverit? At consequens absurdum. Absurdum igitur & Antecedens.

CXCIX.

Dicit Iodocus: Illud tantum ex analogia colligitur. Quod enim in signo fit, id etiam in signato fieri oportet. Nam corporalis actio repræsentat & adumbrat Spiritualem.

CCI.

Contrà. Si ex Analogia colligenda sit corporis Christi comestio, sequitur, considerationem Analogiæ in Sacramento esse rem necessariam. Quia corporis Christi comestio est res in Sacramento necessaria.

Atqui

*Atqui Analogie consideratio non est res necessaria in sacramento.
Ergo ex ea non est colligenda corporis Christi comestio.*

CCII.

*Assumptum probatur. Primò: quia destituitur mandato Dei. Quicquid autem
in Sacramento est necessarium, oportet habere mandatum Dei.*

CCIII.

*Secundò: Si consideratio Analogie esset necessaria, baptismus deberet esse depo-
situs sordium carnis, ut inde colligeremus abluitionem animæ. At hoc non. Quia idem
Petrus disertè negat 1. Ep. 3. Salvos, dicens, nos facit baptismus, qui non est depositio
sordium carnis, sed stipulatio &c. Ergo nec illud.*

CCIII.

*Tertiò si Analogie consideratio esset necessaria in Sacramento, panis esu in Eu-
charistia explenda erit fames corporis, ut inde colligatur, corporis Domini esum me-
deri animæ esuriei. At non hoc. Iubet enim Paulus, ut qui esurit, domi manducet. Er-
go nec illud.*

CCIII.

*Quartò: Si Analogie consideratio est necessaria, ut è panis esu corporis Christi
manducatio intelligatur: non fuit abroganda agni paschalis epulæ, è cuius, tanquam si-
gnificatoris & illustrioris, representatione facilius potuisset colligi, ut exitialis ille
reatus in corpus Dominicum evaderetur.*

CCV.

*Quintò: Si consideratio Analogie est necessaria, ut inde corpus Christi colligat-
tur, manducandum: ergo per Analogiam illam Eucharistia erit Sacramentum corpo-
ris Christi. Consequens absurdum. Quia Analogia talis etiam in V. Testamenti Sacra-
mento. Agno paschali, Item, Manna fuit, & quidem evidentior, quorum tamen nul-
lum fuit Sacramentum corporis aut sanguinis Christi; quo pacto de Calice est dictum,
quòd sit Novum Testamentum in sanguine Christi.*

Sed infra, ubi de fractione panis, de Analogiis plura.

CCVI.

SECUNDVM ARGVMENTVM LV. THERANORVM.

*Quod est pro nobis traditum, illud est in Cœna edendum.
Atqui naturale & essenziale corpus Christi est pro nobis traditum.
Ergo naturale & essenziale corpus Christi est in Cœna edendum.*

CCII.

*Ad hoc Iodocus respondet primo: Concedo totum argumentum. Nam pa- P, 69.
nis manducatio corporalis postulat spiritualem essentialis & naturalis
corporis Christi manducationem. Nec nos aliud corpus edimus, quàm na-
turale*

E 2

turale

turale Christi corpus: quod pro nobis est immolatum, & quidem quatenus est pro nobis immolatum, & quatenus spiritui seu animæ fideli in promissione Evangelii proponitur, ut cibus spiritualis.

CCVIII.

Contrà. Lusus est in ὁμοιωµατικῶν. De orali esu hoc argumento agi non præterit Iodocum. Est enim ἐλεγκτικὸν, & oppositum iis, qui per attributum hujus propositionis: Hoc est corpus meum: non naturale & essentielle Christi corpus, sed vel mysticum ejus corpus, vel figuram naturalis corporis intelligi volebant, dicentes, comedi in cæna non ipsum corpus, sed corporis figuram. Ita hic non fuit questio de manducatione, vel orali, vel spiritali, sed quid esset illud, quod manducaretur. Quod quum figuram corporis, non ipsum corpus, dicerent esse, utiq; oralem intellexerunt. De hac igitur accipiendum etiam argumentum oppositum.

CCIX.

In eadem adversarii responsione insidiosum est illud: quod corpus Christi edi pronunciat, quatenus pro nobis est immolatum. Quæ restrictio, si est αἰτιολογικῆ, ut Immolatio causa hujus esus intelligatur: non quidem efficiens, sed finalis, quod hic esus corporis Christi sit destinatus ad participationem Immolationis ejus, h. e. beneficiorum per immolationem partorum; improbanda non est.

CCX.

Si verò sit συµεταδοτικῆ, ut intelligatur Corpus Christi edi non ratione sui, sed ratione meritorum & beneficiorum suorum tantum: falsa est. Quandoquidem hoc in Sacramento corpus suum fruendum dare vult Christus, indeq; Sacramentum N. Testamenti constituere. Beneficia v. illa etiam V. Testamenti Sacramentis dispensata fuerunt.

CCXI.

Deinde retorquet argumentum hoc modo:

Illud corpus, quod est pro nobis traditum, est edendum in Cæna.

Atqui visibile & tactile tantum corpus est pro nobis traditum.

Ergo visibile & tactile tantum corpus est in cæna edendum.

CCXII.

Contrà. Argumentum hoc elisum est supra. Est enim idem prorsus cum primo. Verum concluditur: Si intelligatur corpus visibile & tactile potentia; non autem; si visibile, et tactile actu. Alioqui ne suam quidem poterit sententiam tueri Iodocus: quod sic exemplo ejus argumentari liceret contra ipsum: Illud corpus, quod pro nobis est traditum, in cæna est edendum fide. Atqui visibile actu & tactile actu corpus est pro nobis traditum. Ergo visibile & tactile actu corpus fide est edendum. Item: Quale corpus discipuli in prima cæna fide manducarunt, tale etiam nunc fide edendum est: Atqui illi tale corpus fide manducarunt, quod actu videbant, & tangebant. Ergo & nunc tale fide edendum est, quod actu videamus & tangamus.

213. Atqui

CCXIII.

Atqui corpus Christi, quod fide comedere se ajunt Calviniani, actu sibi visibile esse & tactile, quemadmodum actu visibile & tactile erat, quum traderetur, & cum per fidem à discipulis in prima cœna ederetur. Calviniani non poterunt affirmare. Ex quo apparet, Actu visibile & tactile esse corpori accidentaria.

CCXIV.

Si dicet Iodocus: Etsi actu non videatur à nobis, videri tamen actu in cœlis: nemo est, qui contradicat. Sin dicat: Lacorum intervalla impedire, quò minus videatur à nobis in terris: regerimus nos: conditionem gloriosi status & mysticam unionem ob stare, quò minus à nobis videatur, præsens quod est, in terris. Interim manet illud: Non esse necesse, si in prima cœna actu fuit visum & tactum à cœnantibus: si in passione actu fuit visum & tactum à crucifigentibus, ut nunc quoque actu videatur: qui illius argumenti nervus est.

CCXV.

Porro idem argumentum aliis proponit verbis.

Quod est naturale & essentiale corpus Christi, illud in Cœna edendum est.

Atqui caro (scilicet Christi: quod si de carne $\alpha\omega\delta\ \kappa\omicron\iota\nu\delta$ loqueretur hæc Minor, falsa esset) visibilis & tactilis est naturale & essentiale corpus Christi.

Ergo caro visibilis & tactilis est in Cœnæ sacramento edenda.

Contra, Idem est error ex Ambiguitate visibilis & tactilis, sæpius explicata.

CCXVI.

Assumptum probat: Omne naturale & essentiale corpus (humanum Iodoco, alioqui falsa erit hæc Major) habet proprietates humanas.

Atqui invisibilis & intactilis omnia loca replens caro, nullas habet humanas proprietates.

Ergo invisibilis, intactilis omniaq; loca replens caro non est corpus naturale & essentiale.

Contra. Minor est falsissima. Vide supra argumentum Adversarii secundum.

CCXVII.

Sequitur argumentum tertium, in quo agitur de Communicatione Idiomatum P. 70. Deitatis, $\epsilon\nu\ \tau\delta\ \lambda\omicron\gamma\delta\ \upsilon\omega\nu\sigma\acute{o}\sigma\epsilon$ Humanitati communicatorum. Hoc quia januam sibi facit Iodocus ad disputationem de Communicatione Idiomatum, quam Tertii gradus nostri appellant: figemus hic pedem, ingressuri, Deo opt. max, annuente, propediem.

APPENDIX DE EXTER- NIS COENÆ DOMINICÆ CE- RÆMONIIS ET RITIBVS.

I.

Finita dissertatione de iis, quæ ad τὸ εἶναι Synaxeos sacre pertinent: umbilicus e-
rit πρὸς ἁμῶν hæc Analytica de Ceræmoniis Cœnæ Dominicæ externis, quæ in
quibusdam Calvinianorum Ecclesiis sunt receptæ: de quibus Iodocus noster sic pro-
P. 11. nunciat: His inculcandum & demonstrandum est, ceræmonias in Eccle-
siis nostris usitatas, nequaquam à prima institutione Cœnæ discordare, sed
in omnibus cum ea concordare: eòq; illas recipiendas, esse quantumvis
mundus contrà fremat frendatq;.

II.

Is est disputationis hujus cardo. Syllogismus integer sic habet:

Quæcunq; ceræmoniæ in omnibus cum prima Cœnæ institutione con-
cordant, eæ sunt recipiendæ.

Atqui ceræmoniæ, in Calvinianorum Ecclesiis usitatæ, cum prima in-
stitutione Cœnæ in omnibus concordant.

Ergo ceræmoniæ, in Calvinianorum Ecclesiis usitatæ, sunt recipien-
dæ.

III.

Errores verò concurrunt plures. In Majori error primus est, quòd non distingvit Ce-
ræmonias, quæ certarum circumstãtiarum conditionibus obvinctæ sunt, quibus mutatis
mutantur & mutandæ quoq; sunt ipsæ: Et istas, quæ ejusmodi circumstantiis solutæ
sunt. Ita Circumcisio aliæq; Mosaicæ ceræmoniæ, quæ Apostolorum tempore indifferen-
tes evaserant, retinebantur ob Judæos, facilius ad fidem Christi convertendos: qua con-
ditione desinente, observari desierunt.

IIII.

Secundus Majoris error, quòd non distingvit Ceræmonias, ob majorem commo-
ditatem receptas, ab his, quæ æquè commode non sunt. Nam Ceræmonia, quum non
sint cultus, cultui subserviunt. Quò autem commodiores, eò melius subserviunt.

VII.

Tertius error, quòd non distingvit Receptionem, cum offendiculo conjunctam, ab
1. Cor. 8. ea, quæ citra offensionem infirmorum fieri non potest. Ceræmoniæ enim, quæ aliàs bo-
v. 9. ne sunt, recipiendæ tamen non sunt, si offendiculum adsit. 1. Cor. 9. v. 12. Et 10. v. 23.
24. Rom. 14. v. 13. 15. 16. Videte, inquit Apostolus, ne hæc licentia offendiculum fiat
infirmis. Quippe quicquid hac de re suscipitur, ad ædificationem Ecclesiæ fieri debet.
Non autem ædificat, quod offendit.

8. Hinc



VIII.

Hinc Augustinus Ep. 119. Vna in ceremoniis saluberrima regula retinenda est, ee ut quae non sunt contra fidem, neq̄ contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem melioris vitae, ubicunq̄ institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam suadendo & imitando sectemur, cum aliquorum infirmitas non impedit, & amplius detrimentum sit.

IX.

Quartus error. Non distinguit Receptionem, quam ad sui obfirmationem homines peruersi rapturi essent; ab ea, de qua nihil tale suspicari licet. Sæpe enim in Adiphors propter Adversarios ne illi Spiritus inde sumant, faciendum non est, quod fieri aliàs posset. Quomodo Apostolus Timotheum circumcidit propter Iudeos Act. 16. At Titum, quòd errorem Iudeorum in Ἰουδαῖα εὐλαβητικὸν ἵδεναι, non est passus circumcidi. Gal. 2. 4.

X.

Quintus error. Non distinguit Receptionem, qua externa Ecclesiarum Communio, recedendo à communi consuetudine, perturbaretur: ab illa, quae ad Communionis istius conservationem spectaret. Nam cum in Ecclesia ordine omnia debeant fieri 1. Corinth. 4. malè consulunt huic ordini, qui in Ceremoniis singulariter religiosi videri affectant. Fit enim, ut religionem eandem non colere censeantur, qui ceremonias diversas tenent. Quomodo Augustinus scribit, matrem suam, quae ipsum Mediolanum consecuta invenerat ibi Ecclesiam, sabbatho non jejunantem, cœpisse idco perturbari & fluctuari quid ageret.

XII.

Hinc Apostolus apud extraneos Mosaicis moribus non est usus, quibus usus est Hierosolymis & apud Iudeos. Act. 21. Augustinus, v. ad Ianuarium scribit: Nulla disciplina est melior gravi prudentiq̄ Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, quancunq̄ forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, pro eorum, inter quos vivitur, societate est servandum. Didicit hoc ex Ambrosio, qui consultus responderat ipsi: Cum Romam venio, jejuno sabbatho: & tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi.

XII.

Quid? quòd ipsa mutatio consuetudinis, ut rursus Augustinus tradit, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbatur. Quapropter, quae utilis non est, perturbatione infructuosa est, consequenter noxia.

XIII.

Sextus error. Non distinguit Receptionem Ceremoniarum, quae fieri non nisi liberè debet: ab ea, quae necessitatis quadam opinione urgetur. ideoq̄ fieri non debet. Iubet enim Apostolus, nos stare in libertate, in quam Christus nos vocavit, & nequaquam jugo servitutis iterum subici. Gal. 5.

14. Postremò

XIIII.

Postremo Minor quoque falsa est. Quia non celebrant Eucharistiam vesperi: quia non celebrant eam in diversorio: Quia non discumbunt in thoris: quomodo Christum cum discipulis discubuisse inde apparet, quod Iohannes in sinu & super pectore Christi recubuit: quia plus minus duodecim discumbunt: quia non utuntur pane azymo, quali ex epulo agni paschali desumpto, usus est Christus: quia denique jejuniis etiam porrigunt cenam, quam Christus solus cibatis distribuit.

XV.

Quocirca Iodoco syllogismum opponimus istum:

Quaecumque ceremoniae sunt recipiendae, illas oportet à conditionibus circumstantiarum, nobis non convenientium, esse liberas, administrationi Eucharistiae accommodatiores: nullo cum offendiculo, vel occasione obfirmandi improbos conjunctas: à communiōne Ecclesiarum non alienas, & ab opinione necessitatis remotas.

Atqui Ceremoniae, quas Calviniani flagitant, tales non sunt.

Ergo Ceremoniae, quas Calviniani flagitant, recipiendae non sunt.

XVI.

μεταλαβ. Βαρομ. εὐς membrum primum & secundum postea apparebunt. Tertium probant haec verba Iodoci: Inveniuntur hoc tempore multi, qui doctrinam à nostris de Sacramento Cœnæ facile propositam admittunt, et amplectuntur, verum ceremonias toto pectore averfantur, eaque de causa nostros deserentes, Ubiquitariis se adjungunt. Quartum omnium oculis est obvium. Quintum patebit infra.

XVII.

Sunt autem ejusmodi Ceremoniae, quas recipiendas Iodocus contendit, sex. 1. Habemus, inquit, mensas, non altaria. 2. Usurpamus panem usitatum, non hostias. 3. Panem frangimus. 4. Fractum panem damus communicaturis in manus, non ingerimus in ora. 5. Poculum iidem præbemus. 6. Communicaturi edunt & bibunt panem & vinum sine discrimine, sive sint jejuni, sive cibati.

XVIII.

I. DE ALTARIBVS.

Hic non est quæstio: An mensis uti liceat. Siquidem nemo omnium è nostris est, qui non affirmet. Sed illud: An recipiendae sint mensae, quales, qui hactenus usi sunt altaribus. Nos negamus: Iodocus affirmat, argumentis quatuor: quorum tria, primum secundum & quartum loquuntur de altaribus ἀπὸ κοινῆς: tertium de Altaribus, quibus usi fuerunt Pontificii priores. Itaque hoc ordine retexemus ea.

XIX.

RATIO PRIMA.

Si Christus cenat^a super altari administrasset, instituisset eam in templo. Atqui

Atqui Christus cenam instituit non in templo.
Ergo Christus cenam non administravit super altari.

XX.

Responsio. Concedimus totum argumentum. Et nihil inde sequitur, nisi Licere
uti mensis: non autem: Oportere uti. Nec aliud vult Lutherus, quem Iodocus (vā
quo animo?) hic citat. Disputat contra sacrificium Missæ, quod necessario in templo Tom. Ien. 2.
fuisse celebrandum: quum Christus Sacramentum hoc super mensa instituerit. Ex quo f. 20.
efficitur, Sacramentum hoc non fuisse cum aliquo sacrificio conjunctum: non autem:
Sacramentum hoc non licere super altari celebrare.

XXI.

Quod autem Christus super mensa primitus ipsum administravit, circumstantia
loci illius ratio est: quia per occasionem agni paschalis erat in diversorio, ubi altare non
erat. Nos autem celebramus eam in templis, ubi sunt altaria: quid ergo opus inferre
mensas hunc in usum, quem altaria etiam nobis præstant?

XXII.

RATIO SECUNDA.

Illis opus est altaribus, qui externa habent sacrificia.

Atqui nos in novo Testamento externa sacrificia nulla habemus. P. 15.

Ergo nobis non opus est altaribus.

Propositionem probat: quia altaris correlativum est sacrificium ex-
ternum.

Assumptionem probat autor ad Hebræos, externa sacrificia abolita
docens.

XXIII.

Responsio. Ambiguitas in Majore primò est in vocabulo opus: quod aliàs de Ne-
cessitate intelligitur: aliàs de Utilitate. De necessitate in propositione si sumitur: ac
si diceretur: Illi non possunt carere altaribus, qui externa habent sacrificia: vera est:
sed tum conclusio non adversatur nobis. Sin v. de Utilitate accipiatur: non est Univer-
salis. Siquidem non, quibuscunq; utilia sunt altaria, ii externa habent sacrificia.

XXIV.

Ad probationem dicimus: committi errorem Relatorum in assignando Correla-
to. Non enim Sacrificia sunt adequatum Correlatum Altaris, quæ est Altare: sed Al-
taris, ut est veteris Testamenti Altare. Adequatum. v. Correlatum est omne id, quod
super eo reponi debet: sive sit victima, sive Eleemosyna, sive Symbola Eucharistica, sive
quid aliud.

XXV.

Largiamur autem Correlatum Altaris adequatum esse sacrificia: quid tum Io-
doce? Ambiguitas est in Minore: ubi distingvimus Sacrificia propriè sic dicta, ab iis
quæ imp: opriè sic dicuntur: eodemq; modo Correlatum eorum, Altaria. Propriè dicta
externa Sacrificia in Testamento novo nulla habemus: ideoq; nec propriè sic dicta Al-

F

taria



taría habemus. Habemus tamen Sacrificia, quæ improprie sic dicuntur: qualia olim erant Eleemosynæ & munera, quæ ad sustentationem Ministrorum & Pauperum, testibus Iustino & Irenæo, super altari offerebantur: et quomodo veteres Eucharistiam sacrificium appellârunt, ideoq; etiam saltem improprie dicta Altaria: quæ si proprio nomine exprimere velis, Mensas dixeris. Non enim vel lapides vel figura Altare proprie dictum facit, sed ordo ad sacrificia, qui est Altaris formale.

XXVI.

RATIO TERTIA.

P. 16. Primitiva Ecclesia non habuit altaria, sed mensas easq; portatiles.

Responsio. Si non habuit, habere tamen licuit. Quod autem non habuit, quid potius in causa fuisse dicemus, quam temporum illorum difficultates, quando non tam in templis, quam ædibus privatis cultu Dei defungi necesse habebant? 2. Altaria nostra mensas rectius dici, modo dicebamus: quomodo Iodocus ipse mensam portatilem dicit, quod Augustinus Altare vocârat, istis verbis, quæ ipse assert. 3. primitivam Ecclesiam habuisse altaria seu mensas portatiles, probat Iodocus ex Augustino, qui floruit post quadringentos à nato Christo annos, et de sui temporis altaribus loquitur. Eandem prius habuisse aras, seu mensas lapideas, probare licebit ex eo, quod Sylvestri Pontificis Romani jussu circa annum Christi 315. tales erectæ fuerint.

XXVII.

Vnde apparet, usum altarium, mensarum lignearum, lapidearum in Veteri Ecclesia fuisse ὀρθόλογον. Ut quid igitur nunc altaria, quæ in omnibus Ecclesiis recepta fuerunt, vitanda essent, ac si usus mensarum lignearum necessarius foret? quum non sit major comoditas mensarum, quam altarium: altaria verò sint durabiliora: Et mutatio omnis hisce in rebus, quia novitate perturbat, sit perniciofa.

XXVIII.

Huc usque de Altaribus ἁπό τῶν νεωτέρων: sequitur de Altaribus, idololatræ Misæ sacrificio olim contemeratis. Hæc toleranda negat adversarius sequenti sylogismo.

RATIO QUARTA.

P. 13. Idololatriæ organa & Satanæ tropæa non sunt in Ecclesiis reformatis toleranda.

Atqui altaria Pontificia fuerunt idololatriæ organa & Satanæ tropæa. Ergo altaria Pontificia non sunt in Ecclesiis reformatis toleranda.

XXIX.

Responsio. In propositione Majori est error à dicto secundum quid. Distingvimus enim inter organa Idololatriæ illa, quæ non possunt in meliorem & sanctiorem usum converti, & à quibus superstitio removeri non potest: & inter illa, quæ in sanctiorem usum converti potuerunt, et à quibus superstitio removeri potuit. De illis ut vera sit Propositio: de hisce est falsa.

Nam

XXX.

Nam si per nihil est immundum, nisi qui existimat, mundo, v. sunt omnia munda etiam altaria per se immunda non sunt, sed mundis munda erunt. Ita sanè est. Alioqui munera sua non obtulissent in Altare Hierosolymitanum, Maria Luc. 2. à lepra purgati, jubente Christo. Matth. 8. Luc. 5. Paulus cum illis, qui voto obstricti erant. Actor. 21. utpote quod multa idololatria coinquinatum erat per Phariseos, meritum salutis operi sacrificii tribuentes & opus manuum suarum adorantes. Quin etiam Atheniensem aram, Ignoto Deo consecratam, Paulus destruendam jussisset: qua tamen ommissa, ipse ad veri Dei agnitionem Athenienses erudit.

XXXI.

Si itaq; stante Idololatria Idololatriæ organis pii homines rectè uti potuerunt, multò jam magis iisdem rectè uti poterimus, Idololatria & superstitione sublatis. Antecedens verum esse ostendunt exempla Mariae, Christi, Pauli, Verum igitur Antecedens Consequens quoque est.

XXXII.

Confirmat autem Iodocus Majorem sui syllogismi tribus argumentis, quorum primum huic proponit verbis: Mandavit Deus, ut altaria gentilia, quæ natura & structurâ sua bona fuerunt, propter idolatriam, in iis exercitam, destruerentur. Exod. 34. v. 13. Num. 23. v. 52. Deut. 7. v. 5. Deut. 12. v. 3. Erant enim altaria gentilium tropæa Satanae, & quicquid in iis immolabatur, id non Deo, sed Satanae immolatum fuit. 1. Cor. 10. 20. P. 143

XXXIII.

Syllogismus inde talis: Gentilium altaria erant Satanae tropæa. Deus jussit destrui gentilium altaria. Ergo Deus jussit destrui Satanae tropæa: & vi consequentis. Non sunt toleranda Satanae tropæa.

XXXIII.

Contrà. Committitur error πρὸς τὸ ἐπιμένον. Hoc tantum inde efficitur: Ergo Satanae tropæa non erant toleranda. Videlicet in Testamento veteri. Non autem consequens est: Si in Veteri testamento non erant toleranda ergo nec nunc in novo sunt toleranda. Ratio: Quia Deus in V. Testamento noluit esse altare, nisi in loco eo, quem ipse elegerat: itaq; propter Ceræmonialem istam legem omnia alia tollenda fuerunt. In N. autem Testamento non Hierosolymis solum, sed ubivis adorare licet. Ioban. 4.

XXXV.

Deinde in veteri testamento non erant toleranda altaria, ad evitandum offendiculum. Quia facillimè poterat fieri, ut essent in ruinam & laqueum Israelitis. Quod ne fieret, nec fœdera cum gentilibus inire, nec aras eorum, nec statuas, nec lucos ferre debuerunt. Atqui de altaribus nostris nihil est, quod metuemus: quum vix unquam extiterit, qui Altaris occasione ad Pontificios lapsus fuerit. Negigitur præceptum illud nostrum attingit Altaria.

XXXVI.

Committit ergò errorem τὰ ἀπὸ τοῦ μὴ ἀτίον ὡς ἀτίον ἑωμοκλᾶς noster : quia non iussit Deus propter idololatriam exercitam gentilium aras destrui, sed ut ne exerceretur ab Israelitis : & quia illo solo in loco voluit altaria esse, quem ipse elegerat. Ita piè fecerunt pii reges, qui destruxerunt altaria ejusmodi. Secus si fecissent, mandatum Dei violassent. Quod quia ad nos in N. Testamento non spectat, idem facere nulla nos cogit necessitas.

XXXVII.

Adde quòd Corinthiis vesci Idolothytis licuit, modò aliorum infirmitas non interveniret : et nobis non liceret, si absit scandalum, Altaribus uti, quæ non Iovi, Apollini, Dianæ consecrata sunt, sed Christo, etiamsi ratio colendi Christum super ea idololatrifica fuerit?

XXXVIII.

Respondet hic Iodocus : Vbi idololatria exercetur, ibi cultus exhibetur non Christo, sed Diabolo. Ergo etiam Pontificia altaria reipsa Diabolo erant dicata. Errat autem τὰ ἀπὸ τοῦ ἐπιόμεινον. Nihil aliud enim sequitur, quàm super Altaria cultum fuisse exhibitum à Pontificiis non Christo, sed Diabolo. Id quod verum esse fatemur. Ex quo Iodocus colligere nondum potest : Ergo altaria pontificia reipsa diabolo erant consecrata : nisi ostendat, omne id diabolo esse consecratum, quod ad idololatriam adhibetur. Quod absit.

XXXIX.

Deinde alia est ratio Dicationis : alia Exhibitionis. Potest aliquid dicari Deo & exhiberi Diabolo. Quod fit, quando quis Deo præstare vult cultum, quem ipse repudiat. Sic dicabantur Pontificia altaria Deo, quem per Sacrificium Missæ placatum reddi opinabantur : non autem exhibebantur. At Gentilium altaria, ut Deo per Sacrificia eorum non exhibebantur, ita nec dicabantur.

XL.

Sequitur argumentum secundum, quo Majorem syllogismi sui Iodocus vult stabilire. Pii reges, inquit, non tantum destruxerunt altaria à gentibus extructa, sed etiam ea ipsa, quæ à populo & regibus idololatricis in Israele aut Iuda erecta fuerunt, confregerunt. Cum enim altaria in templo Hierosolymitano impius Manasses extruxisset, ad Deum conversus, demolitus est ea, ut liquet ex 2. Chron. 33. v. 15. Hujus exemplum imitati pii sacerdotes, jussu Iudæ Maccabæi, consentiente populo, altare etiam Hierosolymitanum jussu Dei exstructum, & à piis in honore habitum, demoliti sunt, ubi ab idololatrâ profanatum fuisset. 1. Macc. 4. 44.

XLI.

Quæ sit ratio eorum, quæ à piis regibus in Testamento veteri sunt facta, paulò antè est, expositum. Adigebantur, hæc ut facerent, expresso Dei præcepto : nobis concessa est libertas. De altari autem Hierosolymitano, jussu Iudæ Maccabæi exciso, res secus habet.

XLII.

Primum non urgebatur ille mandato Dei, ut juberet altare hoc exscindi. Legitur enim cogitasse de altari holocaustorum, quid de eo faceret, & incidisse Consilium bonum. Non autem opus est Consultatione & Consilio: ubi præceptum Dei urget,

XLIII.

Tertiò nondum planum reddidit Iodocus, prophanationem illam, qua Hierosolymitanum altare fuit ab Hostibus contemneratum, talem fuisse, qua altare illud fecerint organon suæ Idololatriæ: quod tamen in primis fieri necesse est. Aliam eam fuisse persuadent nobis tum Gentilium adversus Iudæos eorumque cultum odium, quod non minus abhorrebant à Iudæorum ceremoniis, quam Iudæi à Gentilium ceremoniis: tum verò ratio illius demolitionis, quæ additur, nempe, Ne ipsis esset opprobrium. Quod si profanatum fuisset altare, per idololatriam & non per aliam aliquam hostilem petulantiam, non solum altare ad declinandum opprobrium, sed etiam templum ipsum fuisset diruendum.

XLIV.

Deinde Iudas & sacerdotes ipsimet certi non fuerunt, an profanatio illa causa tanti momenti esset, quam propter, deiciendum esset altare profanatum, alioqui quid de lapidibus ejus faciendum fuisset, dubium illis esse non potuisset. Hos verò reposuerunt in monte domus, in loco apto, quoad usque veniret propheta & responderet de eis. Nunc si illi in V. Testamento non certò sciverunt, altare Dei profanatum esse diruendum, qui tamen Ceremonialibus observationibus, quibus inter mundum & immundum in rebus externis discernebatur, obstricti erant: unde Calviniani in N. Testamento tam confidenter pronunciant Altaria, à Pontificis contaminata esse, diruenda nobis, qui à ceremonialibus observationibus in Christo consecuti sumus immunitatem, & quibus mundis omnia sunt munda, nihil immundum.

XLV.

Quartò destructio illius Altaris facta est consentiente populo: Calviniani verò hisce in terris plerumque invadunt Altaria, restitantes & reclamantes populo.

XLVI.

Postremò Altare illud ita fuit destructum, ut aliud novum fuerit continuò erectum. Calviniani verò vetera profanata quidem destruunt, nova autem non extruunt. Quod utique faciendum, si Iudæi Maccabæi exemplum vestigiis proximis sequi, animum induxerunt.

XLVII.

Tertium argumentum sumit Iodocus ab exemplo Ezechie. Verba hæc sunt: Quid referam Ezechiam, qui æneum serpentem, ex mandato Dei in deserto erectum, ea de causa destruxit, quòd idololatriæ organon esset factum. 2. Reg. 18. v. 4.

XLVIII.

Contra. Elenchus est comparationis. Ezechias confregit æneum serpentem tum, quando Idololatriæ organon jam erat: Calviniani verò jubent etiam illa altaria exci-

deuda, non quæ jam sunt, sed quæ olim fuerunt Idololatriæ organa, nunc autem emun-
data sunt.

XLIX.

Secundo: Aeneus serpens idololatriæ objectum ipsum erat: Altaria. v. nunquam
fuerunt Idololatriæ objectum, quum nunquam ad ipsa directus fuerit cultus.

L.

Tertiò: In novo Testamento etiam illa tolerari possunt, quæ aliquando Idololatriæ
objectum fuerunt. Ita enim pronunciat Paulus: Idololum nihil est. Idololum non est in
mundo. Quanto magis altaria, quæ quaecunq; duntaxat organon fuerunt & meliores
ad usus, remotâ idololatriâ, hæctenus adhiberi potuerunt.

LI.

Quod si autem fieret, quod suspicari vix possumus, ut ad Idololatriam arriperen-
tur, eo modo, quo aeneus serpens Idololatriæ materies evasit, nemo repugnaret, quo mi-
nus idem de ipsis fieret, quod de aeneo serpente est factum, & quod de cruce lignea se fa-
cturum Lutherus aliquando dicebat.

LII.

Quemadmodum itaq; templa non destruimus, licet Idololatriæ organa fuerint, sed
religionis nostræ commodo servare permittimus: idemq; nobiscum Calviniani faciunt:
ita nec Altaria eiicimus, licet Idololatriæ fuerint organa, sed ad usum meliorem ea con-
vertimus: quicquid tandem Calviniani ogganniant.

LIII.

P. 15. Distingvit Iodocus inter organa Idololatriæ, proxima & remota, dicens: Tem-
pla non fuerunt proxima Idololatriæ organa: sed nimis frivolum est istud.

LIIII.

Etenim Mandatum Dei, quo aras gentilium evertere jubebantur Israelitæ, & quod
hac in causa maximè nititur Adversarius, non tantum aras evertendas, sed etiam lucos
in quibus aræ positæ erant, succidendos præcipit. Nunc si ob mandatum illud aræ sunt
dissipandæ, à pontificiis contaminatæ, ob idem præceptum templa erunt deicienda. Aut
si hæc non: nec illæ.

LV.

Secundò. Si proxima tantum organa sunt destruenda, altaria non sunt destruenda.
Propriora enim sunt Calix & Patella, in qua hostiæ servantur: quibus confractis
quiescere debebant. Omnium proxima verò sunt hominum corda, quæ idè omnium pri-
mò reformanda esse, cordati censent: quæ extirpanda esse nemo sanus dixerit.

LVI.

Tertiò: Etsi altaria proxima fuissent illius Idololatriæ, quæ in Sacrificio Missæ per-
petratur, organa: nõ tamen omnis Pontificiorum idololatria super altarib. fuit perpe-
trata: sed quedam ἀμείωτος in templis. Quid verò? An propter istam templa, si pro-
xima Idololatriæ organa fuerunt, omninò sunt destruenda?

LVII.

Porrò quinq; affert exempla, quibus distinctionem suam fulcire emittitur Iodocus. Pri-
mum est: alioquin ipse etiam aer, in quo idololatria fuisset commissa, fugien-
dus esset. Contrà. Non convenit: μεταβάσει ἐς ἄλλο γένος. Aeris usus est na-
turalis & communis. Templorum usus ad Religionem proprie spectat.

St.

L VIII.

Secundum: Manasses & Maccabæus subverterunt non templum, sed altare tantum. *Contra.* Manasses non extruxerat aliud templū: extruxerat .a. altaria alia. *Conversus* itaq; non templum, sed altaria demoliri potuit. Maccabæus verò altare tantū destruxit, quia in eo peculiarem aliquam petulantia, ad Iudæorū opprobrium pertinentem, conspexit.

L IX.

Tertium: Christus mensas ejecit templo, templum non destruxit. Quid ergò Calviniani mensas templis inferunt? Sed ad rem. 1. Factum Christi fuit heroicum. 2. Christus ejecit mensas, non quæ idololatria profanatae erant, sed quibus profanabatur templum, ut spelunca latronum fieret. *Destinatae* .n. erant ad venditionem & emptio- nem & rem nummulariam: non ad usum sacrum. 3. Christus ejecit mensas, non tamen ejecit altaria, quæ idololatria conspurcata erant. Quemadmodum igitur Christus ejecit mensas, quæ profanabant templum, & idololatriam, quæ profanabat altaria gravissimè perstrinxit, templū verò & altaria integra reliquit: ita nos imitemur Christum, relin- quendo profanata altaria in templis profanatis, & pugnando contra ista, quibus profa- nantur.

L X.

Quartum: Tropæa, ab hoste in principis ignominiam in urbibus erecta, deiiciuntur: at urbes ipsæ, si captæ fuerint, illasæ cōservantur. *Contra.* 1. Non eadem semper est ratio rerum politicarum & Ecclesiasticarum. 2. Illic agitur de honore externo: cuius asserendi causa tolluntur res externæ, ad ignominiam tollentis spectan- tes, Honor verò Dei vertitur in affectu mentis benè compositæ: hic si est nequam, tol- lendus est, non mens ipsa, non externa organa, quæ sui usum purum menti puræ, impurū impuræ præbent. 3. Tropæorum istorum finis per se est Ignominia principis: non .a. alta- rium, quæ in Dei ignominiam se erigere Pontificii nunquā dixerint: quod tamen in prin- cipis ignominiam se facere dicunt, qui Tropæa ejusmodi erigunt. 4. Sæpe etiā urbes æquā- tur solo, in quibus tropæa ista eriguntur. 5. Urbes quomodo dici poterunt instrumenta i- gnominiæ, per Tropæa principi illatæ: quod tamen comparationis leges hic requirunt. Non adhibentur ad eam inferendā, quomodo templa ad Idololatriam à Pontificiis adhi- bebantur.

L XI.

Ejusdem monete est Quintum: Quis maritus ferret in cōspectu suo lectum, adulterio conjugis contaminatum? At idem ædes, in quibus adulterium cōmissum est, non cupit destructas. *Contra.* 1. Feret, qui volat. 2. Certè qui adulte- riū recipit, à lecto tantoperè non abhorrebit. Ità Deus, ter opt. Majores nostros, adulte- riis meretricis Babylonicæ pollutos, recepit. Ab altaribus igitur non abhorrebit. 3. præsertim quum adulterium & matrimonium istud non sit corporale: sed mysticum. 4. Aliàs Deus vindex justissimus unius adulterium, non lecti solius, vel lecti solius, sed urbis adeoq; populi toti9 excidio punit. 5. Templa ipsa per se quoq; maculata idololatria fuere à Pontificiis: non sic ædes adulteræ.

L XII.

Sed forsitan de rebus tenuiculis nimis μεγαληγορῶμεν. Satis de mensa: veniendum ad cibum.

Hinc

II. DE HOSTIIS.

Hunc recepto vocabulo appellamus Hostiam. Appellationis ratio est, quia olim desumebatur ex oblationibus, quæ ad sustentationem Ministrorum & Pauperum in altaria offerebantur. Iodocus falsè vocat nummularium panem: quemadmodum olim nuncuparint hostias, recens in Ecclesiam introductas Orientales quidam. Nos nasum ejus floccipendimus.

LXIIII.

Questio autem hæc est: An hostias abrogando & panem cibarium substituendo Calviniani rectè fecerint. Negamus nos. Affirmat Iodocus: cujus disputationem, τὰς ἐξ ἑνὸς ἑνὸς, referimus ad duo membra: quorum prius constat θεῶν: posterius ἀσθεῖ.

LXV.

De priori membro, in quo panem cibarium rectè à Calvinianis usurpari contendit, Argumentum primum tale est:

Calviniani utuntur tali pane, quali usus est Christus.

Ergo Calviniani non sunt accusandi, quòd abrogatis hostiis panem cibarium substituerunt.

LXVI.

P. 12.

Antecedens probat. Nam, inquit, cum Evangelistæ, ad stipulante Paulo, manifestè testentur pane usum esse, monstrent illi, nos nullum in administratione Cœnæ usurpare panem.

Rursum: Christus eo panis genere in Sacramento Cœnæ est usus, quo mediante, carnes agni paschalis edit.

Et paulò post. Frangendi verbum, quo utuntur Evangelistæ de pane, satis convincit evidenter hostiarum patronos contumaciæ & φιλονεικίæ. Frangimus enim, quæ minora esse cupimus. Dum itaq; Evangelistæ testantur, à Christo fractum esse panem, docere volunt, magnum fuisse Christo in illa Sacramentali actione panem.

LXVI.

Negamus autem Consequentiam. Falsa enim est propositio major omissa, quæ sic haberet: Quicumque utuntur tali pane, quali usus est Christus, non sunt accusandi, quòd hostiis abrogatis panem cibarium substituerunt. Namq; in reb. adia phoris, si non urgeat necessitas, mutatio & innovatio suscipienda non est. Cum igitur hostie multu jam seculis in usu fuerint, & verò illi rationem satis ponderosam afferre non possint, quamobrem eis deinceps uti non possimus, meritò substitutio illa reprehenditur.

LXVIII.

Falsum item Antecedens in Enthymemate. Usus est enim Christus pane azymo: quomodo & hostie nostræ fermenti expertes sunt: illi fermentato. De nobis itaq; Antecedens

cedens illud potius erit verum, qui panibus utimur, si non ejusdem quantitatis & figuræ, ejusdem tamen substantiæ & saporis cum pane, quo usus est Christus.

LXIX.

Quod si dicet: Circumstantiam epuli paschalis in causa fuisse, ut pane uteretur azymo, reponere nobis licebit, eandem in causa fuisse, ut pane uteretur grandi, qui frangendus esset.

LXX.

Probatio Antecedentis prima est ἀποστολική. Probat Calvinianos uti pane. Questio autem erat de tali pane. Secunda probat panem, quo Christus usus fuit in Cæna, fuisse grandiusculum. Tertia probat idem. In qua hostiarum patronos nostros Theologos vocat eosdemque φιλονομίαι insinuat. At immerito. Patroni illi sunt non hostiarum, sed libertatis Christianæ, in qua nos Paulus stare jussit. φιλονομία verò eorundem nulla est. Faciunt quod Paulus factitabat, qui se ψευδοῦ ἀδελφοῖς ad momentum cessisse negat. Contumacia item nulla. Siquidem nemo est, qui neget, panem à Christo in cæna usurpatum, quantitatis & figuræ ratione fuisse alium à nostris hostiis.

LXXI.

Secundum argumentum innuitur potius ab ipso, quàm proponitur: hisce verbis: P. 20.
Dum Evangelistæ testantur, à Christo fractum esse panem, docere volunt, magnū fuisse, Christo in illa Sacramentali actione panem, ideoque necessario frangendum & comminuendum, ut omnes edere possent de uno pane, adumbrante unicum mysticum Ecclesiæ corpus, cuius caput est Christus.

LXXII.

Syllogismus inde talis: Si de uno pane in Eucharistia edendum est, ergo talis panis, quali Calviniani utuntur, usurpandus erit: videlicet magnus. At verum prius: quia debet unicum mysticum Ecclesiæ corpus adumbrare. Verum igitur posterius. Et vi consequentis Calviniani non sunt accusandi, quòd &c.

LXXIII.

Negandum est Connexum. Unus enim ille panis, de quo Paulus Philippis agens cum Corinthiis participare se scribit, non est unus per quantitatem continuam, seu individuo, sed specie, per unitatem officii Sacramentalis, quod est symbolum esse corporis Domini manducandi: quodque per universas Ecclesias particulares, constituentes corpus Christi mysticum, idem gerit, etiamsi quantitatis ratione sit multus.

LXXIII.

Probatio assumptionis etiam non vacat vitio. Panis enim unus ille ostendit & indicat unum corpus Christi mysticum: non adumbrat. Ostendit verò ut tessera & nota, è qua Christum eundem colere judicantur, qui panem unum illum comedunt: quam ad rem non opus est adumbratione, quæ requirit similitudinem adumbrantis & adumbrati. Alioqui necesse foret, in aliis etiam Ecclesiæ notis eam designare. ἀδὲν ἄτοπον.

G

Tertius



LXXV.

Tertium argumentum ab exemplo Ecclesiarum, Apostolorum tempora proximè sequentium, sumit quas uno integro pane usas esse probat ex Hierarchia Ecclesiastica Dionysii Areopagitæ, & libro primo Stromatum Clementis Alexandrini, quorū ille indivisum panem à præside sacrorum in frusta conscindi, hinc Eucharistiam divisam esse testatur.

LXXVI.

Contrà. Prius Areopagitæ testimonium probat, in usu fuisse magnum panem, qui fuerit comminuendus: non autem probat fuisse eum tantū unicū: sicuti nec verisimile est, Vnum panem suffecisse Ecclesiis frequentissimis. Alterum Clementis nequidem magnum fuisse panem evincit: siquidem dividere non κατ' ἑαυτὴν est idem, quod frangere, nisi unum calicem omnibus fractum intelligere velis, quando Areopagita dicit, præsidem sacrorum unum calicem omnibus dividere.

LXXVII.

At tamen assentimur: Fuisse apud vetustissimam Ecclesiam panem magnum in usu. Quippe tum temporis excerpebatur de Eleemosynis, quæ offerebantur. Sed quid tum postea? Ideone talis est revocandus, qui, circumstantia illa Eleemosynarum mutata, in usu multa per secula non fuit. Quod si in usu mansisset, uteremur eo: nunc utimur illo, qui in usu nunc est: sic tamen, ut statuamus nos altero etiam uti posse, et si Ecclesia in restitutionem ejus conspiraret, uti velle: non .a., nos eo uti debere. ideoq; restituendum esse.

LXXVIII.

Nunc de membro posteriori, in quo Hostias nostrates aggreditur: primū hoc argumento.

P. 18. Quicquid ad corpora alenda & fovenda est inutile, id non potest habere locum in Eucharistia.

At Hostiæ, quibus Synusiastæ & Metusiastæ utuntur ad corpora alenda & fovenda sunt inutilia.

Ergo hostiæ, quibus Synusiastæ & Metusiastæ utuntur, non possunt habere locum in Eucharistia.

LXXIX.

Majoris rationem exponit hanc: Quia Sacramenta similitudinem quandam debeant habere earum rerum, quarum sunt Sacramenta, ut Augustinus testatur in epistola ad Bonifacium. Hanc verò ἀναλογία hostiæ, quas vocant, obscurant vel prorsus tollunt.

LXXX.

Resp. In Majori est error Ambigui. Vera est, si loquatur de eo, quod per se inutile est ad corpora alenda. Id enim fermè ne esibile quidem est. Tunc verò Minor falsa est: Quicquid enim constat panis partibus essentialibus, panis est, ideoq; ad corpora alenda & fovenda inutile non est. Atqui hostiæ nostræ constant panis partibus essentialibus: quæ sunt farina & aqua inter se commixtæ, & à calore externo, crassiorem hu-

morem

morem absumente ad consistentiam masticabilem redactæ. Hostiæ igitur nostræ sunt panis, ideoq; ad corpora alenda & fovenda inutiles non sunt. Quas quum Spumam panis Iodocus dicit, insulsi sui leporis Spumam despuit: quam propter quis manum verteret &

LXXXI.

Falsa autem est major, Si loquatur de eo, quod ex accidente, ad corpora alenda est inutile: nempe ob parvitatem suam. Quemadmodum enim in Baptismo satis est aquam esse tale elementum, quo corpus totum hominis abluï possit, etiamsi non abluatur totum: ita in Cæna satis est tale edi Symbolum, quod nutrire possit, etiamsi non nutriat. Alioquin non jussisset Paulus Corinthios, qui esuriebant, domi manducare.

LXXXII.

Nec opinior, Calvinianos de pane suo decumano singulis cœnantibus frustum dare tantum, quantum ad nutriendum corpus cuiusq; requiratur: quum certum sit è Philosophorum $\Psi\chi\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$, è cibo multo alimentum non multum confici. Sed sumant illi tantum, quantum volent, nos sumemus parum, quod Eucharistiam panis non ingrediatur bene ad finem ut nutriat. sed ut sit medium $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha\epsilon$ corporis Christi, quod etiam $\rho\epsilon\chi\iota\omicron\gamma\iota\alpha$ præstare potest.

LXXXIII.

Et facit à nobis Canon Nicenus ille: Iterum hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem, sed attolentes mentem fide intelligamus, situm in sacra illa mensa agnum Dei illum, tollentem peccata mundi, qui à sacerdotibus sacrificatur $\epsilon\delta\upsilon\tau\omega\epsilon$. Et quando preciosum ipsius corpus & sanguinem revera sumimus, credere nos oportet, hæc esse resurrectionis nostræ symbola. Propterea enim non multum sumimus, sed parum, ut agnoscamus, non ad saturitatem, sed ad sanctificationem hæc sumi

LXXXIV.

Dictum Augustini quod attinet, non est tanquam $\epsilon\pi\lambda\omega\epsilon$ dictum accipiendum, quod ipse $\epsilon\pi\lambda\omega\epsilon$ non effatus est. Respondet enim Bonifacio, sciscitanti. Quomodo in Baptismatis actione Fidejussor infantis nomine respondeat Credo: si infans fidei affectum non habeat. Quod ut planius expediat, $\upsilon\pi\omicron\theta\iota\sigma\tau\iota\upsilon$ illam sibi jactat; Sacramenta similitudinem habere earum rerum, quarum sunt Sacramenta. Eamque declarat exemplo Eucharistiæ, in qua Sacramentum corporis Christi secundum quendam modum sit corpus Christi: quo fiat, ut quia Sacramentum corporis Christi ($\upsilon\lambda\iota\kappa\omega\epsilon$ utitur vocabulo Sacramenti pro pane) datur, etiam corpus Christi edi intelligatur. Indeq; concludit: eodem modo, quum $\alpha\upsilon\alpha\delta\omicron\chi$ in sacro lavacro dicit, Credo, intelligendum esse, credere infantem.

LXXXV.

Verbi Augustini sic sonant. Sicut secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum responderetur, parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, responderetur fidem habere propter fidei sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum.

LXXXVI.

At non sic Iodocus: Augustinus colligit ex eo, quod fit in symbolo, idem $\mu\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\epsilon$ fieri

G 2

in

in re signata. Contrariâ via Iodocus ingreditur, concludens, id fieri debere in symbolo, quod fit in re signata: nempe, quia corpus Christi nos pascit, iccirco panem Eucharisticum quoque nos pascere oportere. Quid ni & sic? Quia Baptismus totum hominem abluat, iccirco & totus homo aqua baptismi abluendus.

LXXXVII.

Deinde similitudo, quam Augustinus annotat, consistit in iis, quæ sensuum iudicio sunt exposita: ut quod ἕξωθεν in Symbolis fieri videmus: idem in rebus, quarum illa sunt symbola, fieri iudicemus. Iodocus verò prolabitur ad ea, quæ de symbolis fieri non nisi intelligi possunt. Nam Eucharisticum panem alere corpora nostra, quis videt, nisi qui mente videt, b. e. qui intelligit? Quomodo igitur alitioni panis definitio signi competet, qua definitur res in oculos incurrens?

LXXXVIII.

Tertiò paralogismo à particulari fallit, dum sic concludit: Signa in sacramentis ἀνάλογα & similia sunt rebus signatis & vicissim res signatae signis. Ergo si in Sacramento Cœnæ corpus Christi alit animas, etiam panis alet corpus. Quippe antecedens κατὰ τὴν verum duntaxat est. Similia sunt, non tamen per omnia, sed in quibusdam: nempe quæ Scriptura exponit. De cæteris ἀποδεικτικῶς inde concludi nihil potest.

LXXXIX.

Nec aliud voluit Augustinus dicens: Sacramenta, nisi habeant similitudinem rerum, quarum sunt sacramenta non esse sacramenta: quàm quod ipsi quique affirmamus. In omnibus Sacramentis symbola esse quadantenus similia rebus. Videlicet in iis, quæ scriptura utrisq; tribuit. Ut quòd corpus Christi editur, quemadmodum panis editur: sanguis Christi bibitur, quemadmodum vinum bibitur. Quo exemplo veritatem effecti sui idem quoque stabilit, dum ait: Sacramentum corporis Christi corpus Christi est.

XC.

Dicimus itaq; Quicquid de pane fieri non jubent verba institutionis Eucharistiae, id fieri non esse necessarium, sed satis esse, si fiat id, quod jubent. Atqui de pane non jubent verba institutionis Eucharistiae, ut eo corpus alatur, sed tantùm ut edatur. Ergo non est necessarium, ut panis corpus alat, sed satis est, si edatur. Hostias porrò nostras edi posse & edi, inficias ire nemo potest.

XCI.

Secus: si quilibet, quod in signo fit, etiam in signato fieri oporteret: sequeretur quia in baptismo ter homo aspergitur aqua, ter eum ablui à peccatis: sequeretur, quia in Eucharistia non panis integer à Calvinianis distribuitur, nec corpus Christi integrum manducari: item quia pars aliqua manducati panis alimentum corporis non fit, etiam manducati corporis Christi partem aliquam non fieri alimentum Animæ. Hæc verò omnia sunt ἀτοπα καὶ ἀβεβλόγα.

XCII.

P. 20. Deinde ait Iodocus: hostias à Papa introductas esse. Sed inconstanter. Scribit enim

enim infra, non licuisse sibi verè cognoscere, quando nummularii isti panes
inveſti fuerint. Nec aliunde probat, quàm quòd in Ecclesiis proximè ſequenti- P. 21.
bus Apoſtolorum tempora nò fuerit uſurpatus. Quasi verò omnia à Papis in- P. 20.
troducſta fuerint, quæ non in uſu fuerunt apud Eccleſias Apoſtolorum etati proximas.

XCIII.

Aut ſi à Papa introducſta fuerunt, quid tum poſtea? Liberè nos eas retinemus,
quandoquidem quoad materiem conveniunt cum pane, ab ipſo Chriſto uſurpato: quoad
formam verò & quantitatem, licet non conveniant cum eodem, æquè tamen ſunt idoz
nei ad illud officium, quod panis à Chriſto diſtributus ſuſtinuit.

XCIII.

Nec contemnenda eſt earum Antiquitas, quam perſpicimus ex illo Epibanii, in
Ancorato. Videmus, inquit, quod accepit Salvator in manus ſuas, veluti Evangelista
habet, quod ſurrexit à cœna & accepit hoc, & cum gratias egiffet dixit: Hoc meum
eſt, Hoc & Hoc. Et videmus, quòd non æquale eſt, neq; ſimile, non imagini in carne,
non inviſibili Deitati, non lineamentis membrorum, hoc enim eſt rotundæ formæ & in-
ſenſibile, quantum ad potentiam. Familiaris hic fuit D. Athanaſio, præcipuo Eccleſiæ
in quarta etate Doctori.

XCIV.

Poſtremò occupat: Putant, dicens, illi majeſtatem quandam huic augu- P. 18.
ſtiſſimo Sacramento eſſe conciliandam: id verò fieri non poſſe, ſi notus
& vulgaris panis adhibeatur ſacræ huic actioni. Subiicit: id Deo uſitatiffi-
ſimum eſſe, res notiſſimas in ſacra ſymbola ordinare. Inducit exempla: P. 19.
Agnum paſchalem, Aquam baptiſmi, Vinum Eucharistiæ, Ceram ad ob-
ſignandum in tabernis publicis emptam, Aurum vel argentum in annulo,
fidei matrimonialis ſymbolo.

XCVI.

Contrà. Fruſtrà laboras Idoce. Largimur hoc, Deum res notiſſimas ſæpe facere
ſymbola ſacra: Et diſtinguimus Majeſtatem eam, quam ejuſmodi ſymbola à Deo ha-
bent, ab illa, quæ ex accidente accedit, nempe hominum opinione. Eſt igitur panis
uterq; cibarius, tuus, hoſtia noſtra, majeſtatem à Deo habent, quia tamen hæc noſtra o-
pinione hominum etiam nunc convenientior habetur, & dignior Sacramento eſſe judi-
catur, licet alioqui illius quoque uſurpationem conſeſſam eſſe conſtet, attamen, ob opi-
nionem illam, huius uſum retinendum eſſe cenſemus.

XCVII.

Etenim adiaphororum ſinis hic quoque eſt, ut ædificent. Itaq; è duobus, quæ æquè
licita ſunt, non tamen æquè ædificant, illud eligendum, quod magis ædificat. Magis au-
tem ædificat, quod dignius habetur: etiamſi in ſeſe dignius non ſit. Hoc igitur eli-
gendum: & omittendum illud, cujus uſurpatione vileſceret hoc, ad quod adhibere-
tur.

XC VIII.

Deinde si qui putant, majorem majestatem Sacramento conciliari per hostiam, quam panem cibarium, hi offenduntur, ubi viderint atrogari hostias, surrogari panem cibarium. Quando autem periculum offensionis imminet, in rebus externis mutatio suscipienda non est.

XC IX.

Præsertim quum nulla causa ejus ponderis occurrat, ut, quod multorum seculorum consuetudine receptum est, nunc immutari opus sit. Quocirca insani non sunt, qui cenam Domini administraturi, tabellarium, hostias ut asserat, mittunt: sed faciunt prudenter, tuendo in Cæremoniis communionem cum Ecclesia cætera, ne intempestiva morositate offendant, quos trahere poterant. Vnum obliviscuntur, quod eadem opera belleborum Signam ferri non curant.

C.

III. DE FRACTIONE PANIS.

Panis, si magnus sit, frangendus est. Ita quæ panem suum frangunt Calviniani. Quem ritum firmis argumentis stabiliturum pollicetur Iodocus. Promisso si stabit, P. 27. aureus in olympia stato. Primum est in his verbis: Expressa verba Christi habemus: hoc facite: Iussit autem edere non quemvis panem, sed ante discipulorum oculos fractum. Huic itaque mandato obtemperandum est.

C I.

Responsio. Accidentis hic error est. Ut enim Christus fractum panem jussit edi, factum est, quia non nisi panem magnum, ideo quæ frangendum & comminuendum, habebat. Mandatum autem Christi non spectat ea, quæ ob peculiarem circumstantiam panis isti, quem ipse destruebat, accidebant. Alioquin necesse foret, nunc quoque panem, ex epulo agni paschalis reliquum comedere: sicuti & panem azymum. Nam quæ hæc panis isti accidebant.

C II.

Obiciat quis: Quod Christus fecit, idem discipulos & porro Christianos ministros facere jussit. Christus autem fregit panem Eucharisticum. Ergo discipulos quoque & porro Christianos ministros frangere jussit. Negatur verò major. Iussit Christus discipulos non hoc facere, quod ipse fecerat, sed porro facere, quod ipse mandaverat & ipsi fecerant. Edere nimirum & Bibere: iuxta illud: Quotiescunquæ manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis. Item: Hoc facite, quotiescunquæ biberitis, in mei commemorationem.

C III.

Vnde tamen colligitur: Distribuendum quoque esse panem & calicem, quod est ministrorum munus: non autem frangendum esse, quod distributio, quam fieri necesse est, si edi & bibi debet, citra fractionem fieri possit: ubi panis non est magnus. Distributio
panis

panis necessaria est, modus distributionis non est necessarius: sicuti in Baptismo aquam impartiri necesse est baptizando, non autem necessarius est modus, Trina Immersio.

CIIII.

Secundum argumentum: Fractio panis representat fractionem corporis Christi: propter quam ἀναλογίᾳ fractio necessario est retinenda in Ecclesia: Ideo Apostolus ad panis fractionem in Ecclesia usitatam respiciens dicit: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Syllogismus est: Si fractio panis representat fractionem corporis, sequitur, fractionem panis esse necessariam retinendam. At verum prius. Quare & posterius.

CV.

Responsio. Negandum est conexum. Nihil enim retinendum est necessario, quod retinendum esse non jubet Deus. Committitur Elenchus non caussa ut caussa. Si .n. representatio illa in caussa esset, quamobrem necessario aliquid sit retinendum: etiam immersio totius hominis in aquam baptismi necessario retinenda esset. Agnus paschalis .v., qui expressius representabat, non fuisset abrogandus.

CVI.

Deinde falsa est Assumptio. Aut enim fractio corporis Christi dicitur proprie, aut improprie. At proprie dici non potest. Quia talis nulla fuit, quandoquidem cum latronum frangerentur crura, crus fractum non est Domino, ut impleretur Scriptura: Os non comminuetis ei. Quod si nulla fuit, nec panis representat eam. Rectius vero representabunt hostiæ nostræ, quæ manent integræ, corpus Christi, quod ipsum quoque mansit integrum.

CVII.

Si improprie dicitur, intelligitur vel Passio vel Distributio. Si passio, per fractionem panis non representatur. Nam si representaretur, evidentem aliquam similitudinem cum corpore Christi passum panem habere necesse foret. At vix intelligi potest, quæ sit similitudo εἰδωλῶς inter corpus Christi passum & panem fractum. Ecquid proprie fit in pane, dum frangitur, quod ἀναλόγως factum sit in corpore, dum passum est? Edisserat Iodocus.

CVIII.

An ut, quemadmodum panis patitur, dum frangitur: ita, quoque Corpus Christi passum intelligatur. Aliud non occurrit: hoc verò ineptum est. Quippe Analogia, quæ est duorum ad duo similis ratio, cadit. Quæ si stare debeat, similitudo illa sic haberet: Ut, quemadmodum panis patitur, dum frangitur, ita quoque corpus Christi passum fuerit, dum fractum est. Deinde explicatio similitudinis fieri debet per propria & specialia, non per generalia. Exempli caussa: cum Iohannes dicitur Elias, similitudo in metaphora non potest sic explicari, ut dicas Iohannem fuisse

fuisse hominem, quemadmodum Elias fuerit homo : sed assumendum est aliquid Eliae, quo cum Iohannes confertur, proprium, ut Spiritus excitatissimus. Iam verò τὸ Pati est communius : angustius & specialius frangi. Siquidem omne, quod frangitur, patitur : sed non omne, quod patitur, frangitur. Tertio quo ordine attributa signi præcedunt & sequuntur, eodem, si attribuuntur signato, præcedunt & sequuntur. Exempli causa. Quemadmodum panis ore editur, & quia editur alit (secundum Calvinianos), corpus : ita corpus Christi editur fide, & quia editur animam alit. Is verò ordo hic invertitur : Quemadmodum panis frangitur & quia frangitur, patitur : ita quia corpus Christi patitur, frangitur vel frangi dicitur.

CVIII.

Porro si per fractionem panis ἀναλογικῶς representaretur passio corporis Christi, sequeretur, Christum adhuc pati. Nam ἀναλογικῶς istam Iodocus sic explicat : quod in signo fit, id etiam in signato fieri oporteat. Itaque, inquit, ibidem. ut in sacramento Cœnæ panis eiusdem fractio & manducatio requiritur : ita etiam idem sacramentum postulat panem vitæ, corpus Christi pro nobis traditum : idem requirit, ut corpus frangatur & edatur. Consequens est impium, falsum igitur Antecedens.

CIX.

Inde : Si corpus Christi non frangitur aut patitur adhuc, nec panis adhuc frangi debet. Alioqui enim fieret in signo : quod in signato non fit. Atqui corpus Christi non patitur adhuc. Ergo nec panis adhuc frangi debet : sed satis est fractum esse semel, quemadmodum corpus Christi passum est semel. Proinde & Analogia à nobis stabit, qui panem non frangimus.

CX.

Rursum : Si fractio panis representaret ἀναλογικῶς passionem corporis Christi, sequeretur, corpus Christi passum esse spiritualiter. Nam, dicit ibidem Iodocus, corporalis actio representat & adumbrat spirituales actionem. In idem & docent, Corporalem panis manducationem representare & signare spirituales corporis Christi manducationem. Atqui corpus Christi passum utique est corporaliter. Ergo &c.

CXI.

Restat ut intelligant Distributionem, si velint tueri Analogiam, quam per passionem tueri non poterunt, & dicant : Quemadmodum panis frangitur, id est, distribuitur : ita etiam Corpus Christi frangi, id est, distribui. Quæ quidem fractio est nec necessaria in Cœna, sed quæ nihil facit ad fractionem, proprie sic dictam, stabiliedam. Potest enim fieri distributio sine fractione proprie sic dicta : & sicuti fieret talis in corpore Christi, ita, ἀναλογικῶς retinende gratia, in pane etiam fieri deberet.

CXII.

Illud igitur Apostoli : Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur : quod attinet : sunt, qui intelligunt Frangendi vocabulo Distributionem. Iodocus si mavult
passio=

Passionem in cruce, non digladiabimur. Quam enim Analogiam inde vult extruere, hanc evertit, ut vidimus modò.

CXIII.

Tertium argumentum sumit Iodocus ab exemplo primitivæ Ecclesiæ. Habemus, inquit, exempla primitivæ Ecclesiæ, in qua itidem Apostoli, mandati Christi memores, panis fractionem nunquam intermiserunt: quod vel ex hisce Pauli verbis liquere puto: Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi? 1. Cor. 10. v. 16. Et ex actis cap. 2. v. 42. manifestum est, fractionem panis tantæ in primitiva Ecclesia autoritatis fuisse, ut illius nomine universam cœnam comprehenderint.

CIIII.

Responsio. Si Fractio interdum idem est, quod Distributio, è solo hoc verbo non potest ἐξ ἀνάγκης concludi, loqui Paulum de Fractioe panis propriè sic dicta. Illud verò probatur ex eodem, quem Iodocus ex Actis Apostolorum protulit, loco: in quo Fractioem panis, quo de loquitur Lucas, de Distributione accipiendam esse, verba sequentia monstrant, ubi dicitur: Omnes, qui credebant, erant unà pariter, & habebant omnia communia & dividebant illa omnibus, prout cuius opus erat.

CXV.

Veruntamen nolumus esse difficiles. Assentiamur, tempore Pauli usitatam fuisse fractionem panis propriè sic dictam: quid ergo? Manet aliud nihil, quàm alium tunc temporis fuisse in Ecclesia ritum, atq; nunc est. Hoc autem quaeritur: An ritus talis necessarius fuerit retinendus, & quia longo jam tempore intermissus fuerit, necessario sit revocandus. Negamus nos: Iodocus non probat.

CXVI.

Committit verò errorem πρὸς τὸ αὐτὸ in verbis Lutheri, quæ citat. Disputat P. 23. Lutherus contra Pontificios, rigidos etiam rituum externorum exactores, de Missa, in qua panem frangendum & distribuendum contendit, si cum ritibus à Christo observatis congruere debeat. Non autem ideo statuit, receptos ritus, qui impietatis nihil habent, & quibus utimur liberè, quòd cum illis non congruant, esse abolendos. Quem in modum nos quoque Calvinianos, qui etiam ritus, in prima cœna observatos, omninò observandos contendunt, jubemus discipulorum more discumbere: nec tamen ideo ritum nostrum, quo seriatim Communicantes ad Altare accedunt, abrogandum ducimus.

CXVII.

Ceteroqui nec nostri abhorrent à fractione panis, quasi concessa non sit: abhorrent. v. ab intemperie Calvinianorum, qui, postquam Sacramenti nucleum sustulerunt, religiosuli in culleola videri affectant, morosè exigendo, quæ libertati nostræ sunt relicta.

CXVIII.

Postremò conatur Iodocus refellere responsionem nostrorum, qui dicunt frangere idem significare, quod distribuere: quod in verbis Paulinis: panis, quem frangimus:

H

item:



item: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, fieri, memini: in verbis institutionis, Fregit & dedit, an quis sic exponat Frangendi verbum haud scio. Respondet autem Iodocus quinq; quae inspicienda sunt.

CXIX.

Primo dicit: Sic tropus in verbis testamenti constituitur, quem illi a-
versantur. Contra: Verba testamenti proprie haec sunt: Edite: Hoc est corpus. Bi-
bite: Hic est sanguis meus. In his Testamenti bonum continetur. In his tropum in-
esse negamus. De alijs non admodum laboramus.

CXX.

Secundo: Procedunt à particulari ad particulare: Frangere aliquan-
P. 24. do significat idem, quod distribuere. Ergo etiam hic in Cœna Domini.
Contra: Non sic argumentantur nostri, sed sic respondent vestris, quando argumtan-
tur: Quicquid frangitur, in partes comminuitur: quod universale esse negant, quia
frangere interdum sit, quod distribuere: non. v. omne, quod distribuatur, in partes com-
minuatur. Proinde interest, vestra probare, hoc in loco Frangere non idem significare,
quod distribuere

CXXI.

Tertio: Si eorum sententia admitteretur, constitueretur in cœna cras-
sa & inepta τавтоλογία. Dicitur enim fregit & dedit discipulis: resolve
verba ac sic sonabunt: distribuit panem inter discipulos & jam distribu-
tum dedit. Contra τавтоλογίαν non est, quando quod dicebatur improprie, ἐξῆρται
κῶε proprie rursus dicitur. Et si. n. significetur idem, modus significandi tamē non est
idem. Itaq; verba illa sic resolvenda erunt, Panem distribuit & distribuendo dedit
discipulis. Amplius quid effici non potest.

CXXII.

Quarto: Si frangendi verbum notat distributionem, quomodo intel-
ligent haec: Panis est corpus meum, quod pro vobis frangitur? Num etiam
Domini corpus distributum est in Cruce? Contra. Corpus Christi distributum,
est, non in cruce, sed in cœna. Itaq; qui intelligunt isto in loco distributionem, negabunt:
ἰσθῶναι πῶς εἶναι esse phrases, quod pro vobis traditur, & quod pro vobis frangitur: il-
lam referent ad Passionem, hanc ad Eucharistiam.

CXXIII.

Quinto: Dicitur quidem Esaiae 55. panem frangendum esse esurienti:
verum talis ibi notatur distributio, quam praecesserit fractio. Contra: Quaer-
ro: an necessario praecesserit vel precedat? Si ais: non jam licebit panem integrum da-
re esurienti: ἄπορον. Sin negas: Ergo frangendi vocabulo, aliquando intelligetur talis
distributio, quam fractio non praecessit. Id quod illi volunt, qui fractionem de distribu-
tione intelligunt. Quos ut convincas, fortioribus ἐπιχειρήματα opus erit: & si con-
vincas, nibilo plus efficies. Siquidem ipsi quoque non ἀποτόμῳε negant, Fractionem
porpr e dictam intelligi posse: sed si talis intelligendi sit, negant: inde sequi: Nunc
quoque

quoque esse frangendum panem necessario, quia olim fractus fuerit. Illud nos quoque hic negamus, etiam si olim fractum fuisse inficias ire nolumus.

CXXIII.

IV. SYMBOLO IN MANVS DAMVS, NON ORI INGERIMVS.

Queritur hic: Vtrum ore prius, an manibus excipienda sint symbola Eucharistica. Neutrum per se prohibitum esse dicimus: alterutrum verò tenendum esse, prout fert Ecclesie consuetudo, quae si a superstitione absit, turbanda non est. Posterus se firmis argumentis monstraturum, jaclit at Iodocus.

CXXV.

Primum est: Expresse dicitur in textu institutionis λαβετε, accipite: hoc certe manu fit: quod verò ore perficitur, exprimitur verbo φάγετε, edite. Ministri nostri iulsi aliquid accipere, manus extendunt & ora non parant ad illud excipiendum. Hinc λαβη, λαβης significat omne id, quo quid apprehenditur, cin heffe oder Handhab.

CXXVI.

Contra: Ficulneum certe argumentum. Quod enim in textu dicitur λαβετε: id manu fieri, tu quidem dicis, non probas. At το λαβη λαβειν in genere significat omnem sumptionem, quae cum parte corporis, quocumque fiat instrumento: eaq; restringitur ad speciem per το φάγετε, quo uli solammodo notatur sumptio, quae fit ore. Vt si mater filiolo dicit: accipe hanc buccellam & comede: ipse verò ore excipiat, non manu: quis negabit, eum accepisse & comedisse? In qua porro oris sumptione non est idem ipsa sumptio & comestio, sed haec sequitur & praesupponit illam. Nam qui comedit, ore sumpsit: non autem vicissim, qui ore sumpsit, comedit. Quippe quod quis sumit, nec tamen aeglutit, comedisse non dicitur.

CXXVII.

Distingvimus itaq; inter λαβη pillam, quae ore fit, & in Sacramento est necessaria, quaeque verbo Accipite mandata est, & istam, quae manu fit, & in Sacramento necessaria non est: ubi perinde est si ve os tuum cibum excipiat de manu tua, si ve de manu ministri: modo os excipiat, ut comedatur. Nam comestio, quae est praecipua sacramentalis actio, fieri non potest, nisi comedendum ore sumatur.

CXXVIII.

Quod si jam Christus panem discipulis in manus dedit, quem jubebat eos accipere, factum id non est, quasi non fuissent eum accepturi si in ora discipulorum ingessisset: sed quia alij discipulorum remotiores s. debant, quam ut ex proprio brachioingere potuissent: quae circumstantia verò in Ecclesiis nostris non obstat, quo minus in ora ingerantur.

CXXIX.

Huic accedit, quod commodius est poculum de manu ministri ad labia Communitatis inclinari, quam de manu in manum vicissim retrò commeari. Quod autem sit in poculi distributione: non incommodè sit in distributione panis, præsertim nostratis, qui ad ejusmodi sumptionem, quæ solo ore, citra manuum adminiculum, fiat, accommodatus est. Enimverò Ordinem in ritibus spectandum quoque esse, est extra controversiam positum.

CXXX.

Exemplum à ministris, qui jussi accipere manus extendunt, non ora parant, quò τὸ λαμβάνειν significare idem, quod manu accipere, probare vult: nihil est. Neque enim omnium rerum accipiendarum ea est ratio, quæ ore sint accipiendæ: & ex his, quædam sunt grandiores, ut prius manibus comminuendæ, quam ori ingerendæ sint: quædam verò etiam si comminutæ sint, quia tamen ab eo, qui remotiori in loco sedet, porriguntur, extensa manu excipiendæ prius sunt: aliæ verò ut manibus excipiantur, non opus est: quæ tamen ipsæ quoque manibus interdum excipiuntur, si libet. Error est à partibus.

CXXXI.

Simile est illud à conjugatis. λαβὴ significat id, quo res apprehenditur per manum: Ergo λαβετε significat manu apprehendere. Nihil enim usitatius est, quam Verbalia nomina specialem habere significatum, quorum primitiva generatim significant. Sic vertebrum est, quod vertitur: nõ autem omne, quod vertitur est vertebrum. Terebrum, quo teritur: non autem omne, quo teritur, est terebrum. Eodem modo λαβὴ est, quæ manu apprehenditur: non autem omne, quod apprehenditur λαβὴ est. Multò minus verò illud, quod manu non apprehenditur.

CXXXII.

P. 25. Deinde ex Lucæ 22. cap. v. 17. apparet, Christum poculum non dedisse singulis, sed primo tantum, primum autem illud porrexisse secundo: secundum tertio, &c. Ait enim: Accipite vos poculum & partimini vobis ipsis.

CXXXIII.

Contrà. Vile & hoc est. 1. Non distingvit Calicem paschalem, quem Christus accipere & dividere hoc modo jussit: ab Eucharistico, de quo nihil ejusmodi exprimitur. 2. Non is solùm accipit poculum, qui manui includit, sed etiam is, qui summo ejus margini labra subjicit, ut bibat. 3. Si in manus discipulis poculum dedit, remotior sedebat. 4. Quia accipere simpliciter jussit, non manu, ut manu accipiat, indifferens est.

CXXXIII.

Tertiò dum prohibentur Laici à contactu symbolorum, ignominia notantur summa, scilicet, quasi non mandati sint sanguine & Spiritu Christi. Contrà. 1. Nemo prohibetur à contactu symbolorum, quæ si non attingunt, r. s. quia non opus est, quum in ora à ministris inserantur, 2. Non Laici solùm, sed hi quoque, qui

qui è ministris Eucharistiam ab aliis accipiunt, non in manus, sed *ἐπιπέσει* in ora symbola recipiunt. 3. Soli, qui administrant, symbola manibus attingunt, non quia Communicantes immundi sint, sed quia distribuere ea possunt, etiamsi Communicantes manus suam non adhibeant. 4. Itaq; & ignominia, quam Iodocus fingit, nulla est.

CXXXV.

Quartò in Ecclesiis, proximè secutis Apostolorum tempora, in manus dabantur symbola. *Contra*: Non autem dabantur, ut si eo modo data non fuissent, si Ecclesie consuetudo tulisset, rectè non data fuisse judicarentur. Nos damus, ut nunc est receptum: quum aliter facere nulla gravis ratio moneat. Quid? Testimonia eorum, quos adduxit, non docent, in manus fuisse data, sed tantum in manus fuisse sumpta. Non autem quodcumq; in manus sumitur, in manus datur, sed quod de manus in manus datur: proprie loquendo.

CXXXVI.

Intelligitur illud ex isto Clementis. Eucharistiam cum quidam, ut mos est, dividerint, permittunt unicuiq; ex populo ejus partem sumere. Etenim de eo, qui in manus datur, non potest *ἁγιως* dici, quod sumere permittat. Plus eo non dicunt Cyprianus, Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius & c. Item Centuriatores Magdeburgenses, qui historico more referunt, quamdiu Ceremonia ista in Ecclesia duravit, recipiendam non jubent. Lutherus autem disputat contra Pontificios, qui Laicis sacrorum Symbolorū contactu interdiciunt, tanquam immundis, quod ipse vult esse *ἁγιόσωπος*, & nostri cum illo.

CXXXVII.

Quintò negari non potest, eam ceramoniam, qua Laici, quos vocant, à contactu symbolorum arcentur, ortum habere ab Antichristo, Satanae satellite, filio perditionis. Nam in parte tertia decretorum de consecratione, distinctione. 1. c. 41. & distinct. 2. c. 23. mandat jus Canonicum, ut sacra symbola non ab aliis, quàm sacerdotibus dominoq; dicatis hominibus contrectentur.

CXXXVIII.

Contra. Hoc nihil ad nos. Non arcemus quenquam Christianorum à contactu symbolorum, quæ non minus à Laicis, quàm ministris verbi contractari posse, sat novimus. Si qui, v. non contingunt, de Consuetudine Ecclesiarum nostrarum cogitant, non de aliqua sua immundicie: quam Pontificii fugebant.

CXXXIX.

V. PONTIFICIOS CALICES

ABOLEVIMVS.

Accusantur nostri, scribit, quòd Pontificios calices confregerint, & alia, cujuscunq; sint materiae & formæ, introduxerint pocula. At non im-

H 3

meritò,

merito, quia ponderosa causa nulla subest, quamobrem ita tumultuentur. Dissipiamus, quam nos Iodocus proferat.

CXL.

Evangelistæ, inquit, generali utuntur voce ποτήρις, qua quodvis vas notatur, quo homines uti possunt inter bibendum. Nam originem trahit à πίω, quod in genere significat bibo. Argumentum orietur inde tale: Si vox ποτήρις, qua Evangelistæ utuntur, generaliter significat quodvis vas, quo homines inter bibendum uti possunt, sequitur, Calvinianos rectè fecisse, quod Calices fregerint. At verum antecedens: quia originem trahit à πίω: quod in genere significat, bibo. Quare & consequens.

CXLI.

1. Cor. 10. Error est τὰς τὸ ἐπιόμενον. Nihil aliud inde sequitur: quàm licere alio poculo uti, quàm calice, quod est ἀναμφορίστισμον. Non autem, quicquid licet, illico expedit. Omnia mihi licent, inquit Paulus, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Cujus ædificationis gratia sæpenumero in rebus externis omittendum est, quod per se liceret, & prohibitum non est.

CXLII.

Quare argumentum hoc sic retorquemus: Si vox ποτήρις generaliter significat quodvis vas, quo homines inter bibendum uti possunt, sequitur rectius facere nostros, qui calicum usum retinent, quàm Calvinianos, qui eos confringunt. At verum prius. Verum igitur posterius.

CXLIII.

Consecutio propositionis probatur. 1. Quia Calicem vas esse, quo homines ad bibendum utuntur, nemo sanus inficiabitur. 2. Quia usus eorum in Ecclesia est antiquissimus: ut constat è monumentis Irenæi, Athanasii, Chrysostomi, Bedæ. 3. Quia præter rationem res externæ mutari non debent. 4. Quia aliàs minister, recitans verba institutionis latine vel germanice, aliud monstrari à se dicet, quàm monstrabit. 5. Quia verissimile est, Christum in prima Cæna calice esse usum: quo tempore calices tam usitati fuerent, ut acerbitates tribulationis Calicis nomine designarint. 6. Quia de passione Christi, quæ in Christus ipse Calicem nominavit, admonere potest. Vbi Calvinianis σαδογία etiam occurreret, ut quemadmodum calicem vini exhauriunt ipsi, ita Christus passionum suarum calicem exhausisse intelligeretur. 7. Quia nihil nisi ποτήριον substitui potest. Nulla igitur ratio, cur hic eliminetur, alius forme poculum assumatur.

CXLIIII.

Sed hic obviam nobis fit Iodocus: Caterum, inquit, probè hoc notandum est, calices Pontificios à nostris esse confractos, non propter eorum formam, sed propter eorum idololatriam, cuius organa & tropæa fuerunt: Quod si Pontificiorum idololatria non conturpata sunt, cenleo, eos esse retinendos.

Contra,

CXLV.

Contra: Illi quoque, qui aliquando Pontificia idololatriæ organa fuerunt, retineri possunt. Nam si Iudæi, qui Ceremonialibus observationibus illigati erant, vasa, quæ Rex Belsazar è templo Hierosolymitano abstulerat & multis modis cõtemerarat, Dan. 5. 2. 34. ad sacra sua, ut prius, adhibere potuerunt, ubi à Cyro ipsis sunt restituta. 1. Esd. 5. & 16. quanto potiori ratione nos, freti privilegii libertatis Christianæ, in sacris nostris uti possimus vasis, à Pontificiis olim contaminatis. Res maneat, redeat usus, secedat abusus. Vide supra de Altaribus argumentum idem.

CXLVI.

Porrò, dicitur, nullo unquam tempore Ecclesia fuit alligata certæ formæ & materiæ calicis. Hæc itaque libertas nobis quoque relinquenda est. Ita est Iodocæ. Non igitur decet, huius vel illius materiæ, huius vel illius formæ calices usitatos abolere & formæ alterius, materiæ alterius potius substituere, ac si illiusmodi usurpare non liceat, aut hæc magis quam illos usurpare conveniat: quum una sit omnium ratio, ut nulla sit ratio mutandi illa, quæ retinenda, nãm una suadet ratio.

CXLVII.

Itaque Lutherus nobiscum non pugnat, docens posse cœnã Domini administrari in vasis domesticis, non consecratis, nempe si postulet necessitas. Aliàs non, quod fieri potest, faciendum est semper, sed regula moderanda libertatis Christianæ observanda, & faciendum i. lud, quod expedit.

CXLVIII.

Multò minus dicimus necessaria esse vasa aurea, ut simulat Iodocus, quum plurimæ sint Ecclesiæ, quæ aurea non habent: attamen si ad manum illa sunt, utimur, a luds vel plumbeis usuri: quemadmodum Calviniani in templis lapideis sacris defunguntur, quando habent, ligneis opinor, contenti futuri, lapidea si non darentur.

CXLIX.

VI. AN CIBATI SINT à COENA
ARCENDI ET IEIUNI TANTVM ADMITTENDI.

Postremum hæc caput est. Ad cœnam admittendos esse sine discrimine jejunos & cibatos, modò in fide & pietate accedant: in quo nos adversarios non habebit. Laudamus verò etiam eos, quos ipse laudandos scribit, qui ideo jejuni accedunt Cœnam, ut ardentioribus precibus & attentiori meditationi vacare possint, quiq; sine superstitione cibo abstinent. Et improbamus ordinationem illam, quæ sancitur in jure Canonico, in tertia Decretorum parte, de consecratione, distinctione prima cap. 49. Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur.

CL

Adhibet autem Iodocus rationes quinque, quibus planum vult reddere, Cibatos quoque

quoque ad Cœnam Domini admitendos esse. Quarum prima & secunda sunt de meliore nota. Tertia coincidit cum prima. Quarta: quia, qui corpore infirmi adessent, quando in magnis Ecclesiis sacramentalis hæc actio protenditur, facile in ἀπροθυμίᾳ incidere: non probat, ἀδ' ἰαφοσορ hoc esse, ut Cœna sumatur & à jejunis & à cibatis: sed, si ἀδ' ἰαφοσορ hoc esse constet, probat, non sic recipiendum esse illud, ut jejuni edant, qui etiam cibati, si opus sit, admitti possint. Adiaphora enim Ecclesiæ oportunitati attemperanda sunt.

CL I.

Quinta: quia hæc consuetudo abstinendi à cibis, in perceptione Sacramenti conjuncta est apud multos cum impia superstitione: similiter non evincit cibatos quoque ad cœnam Domini admitti posse, sed si aliunde id fieri posse, est demonstratum, vult admittendos esse cibatos, quò superstitio illa, quòd non nisi jejuni Eucharistiæ participes fieri possint, tollatur aut diluatur. Alioqui qui negat cibatos ad Cœnam admittendos esse, idem negabit superstitionem esse, putare, solos jejunos admittendos esse.

CL II.

At quæ est illa superstitio? Hanc enarrat Iodocus verbis sequentibus: Nam quia opinantur, ait, corpus Christi latere, & in ac cum pane ore excipi, volunt hunc honorem Christo deferre, ut prius hominis corpus ingredia- tur, quàm ullus alius cibus admittatur, ne cum aliis ventris cibis misceatur. Hinc sunt crassæ illæ & impiæ opiniones: si corpus Christi comestum & ejusdem sanguis bibitus per vomitum reddatur, esse eas reliquias igni comburendas: Item non esse in terram spuendum.

CL III.

Contrà. 1. Quo pacto quidam corpus Christi sub pane latere, μυσικῶς videlicet, dixerint, alibi monuimus. 2. Omnia in gloriam Dei faciunda sunt. Ad quam qui jejuni- um suum referunt, haud sanè peccant. 3. Reliqua: de mixtione corporis Christi cum ci- bis ventris: de combustione redditi per vomitum: de non in terram spuendo: Pontifi- ciis, è quorum Transsubstantiatione oriuntur, relinquimus: nos Scripturæ Cynosuram sequentes, credimus istam corporis Christi manducationem, quæ sit vera & realis, non tamen physica, sed mystica: è qua portenta talia nasci non poterit demonstrari, rumpantur ut ilia Codro.

CL IIII.

Atque hæc de Cæramoniis & Ritibus Eucharisticis, quantum satis videbatur, dicta sunt. Nunc disputationi huic primæ Colophonem imponimus: & Iodoco mentem meliorem precamur.

FINIS.

Errata corrige. Th. 117. lin. 1. pro prædicamentalibus, lege, sacra- mentalibus. th. 93. l. 3. idoneæ.

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quarū una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significantur
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuias ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HEURNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.

mans qui erit in
tunc natus, et unum
in ipso regno in
natus addiderit
sane qui erit
Sicut enim dicitur
aut in factis statu
soluerat nabuch
recepit in annu
ter. Vobis dicitur
cubi et linguas
audierunt somn
er fabule. et ex
huc et psaltes
nie et unum
sicut. carentes
dixit autem
in nabuch
quis aut non
satis. ad totum
in massimis
quod
alliter.





THEMATA THEOLOGICA 44
DISPUTATIONIS ANA-
SCEVASTICÆ PRIMÆ

DE ORALI CORPO-
RIS CHRISTI IN COENA MAN-
DUCATIONE, ET RITIBVS
EVCHARISTICIS,
Quæ

SVB PRÆSIDIO REVEREN-
DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. SALOMONIS
GESNERI SS. THEOLOGIAE DOCTORIS
& Professoris in alma WITEBERGEN-
SIVM Academia

Contra
FODOCVM NAVVM SI-
genensem
3. Septemb. tuebitur.

M. IOHANNES SCHRODERVS
Treifensis Hassus.

WITEBERGÆ,
Excusum typis Wolffgangi Meisneri,
ANNO *cb l* XCVI.